

CORDUS (Euricius)

ECLOGAE (1799 vers)

EURICII CORDI BUCOLICORUM ECLOGA PRIMA. FAUSTULUS ET LYCIDAS.

FAUSTULUS

B_1 v.1 Cana propinquat hiems, nocturnis tacta pruinis
 2 pascua languescunt, recidivas frigida perdit
 3 silva comas, niveum mox claudet ovilia tempus.

LYCIDAS

4 Maxima sollicitum me, Faustule, cura fatigat,
 5 quo pecudes, quo dilectos cum conjuge natos
 6 sustineam, vacuis mea stant fenilia tignis.
 7 Non minimum secui per sex ego prata manipulum,
 8 nec minus est pacti numeranda pecunia census.
 9 Vix tres facta dedit paleae tritura quasillos,
 10 et paucos salicum conguessit Sylvia fasces,
 11 quae (neque sufficiunt) solis dabo pabula capris.
 12 Ni melior veniet, quam qui fuit hactenus, annus,
 13 vendam utrumque gregem, quod si quis jam foret emptor,
 14 venales, quo non habeo, dare cogerer agnas,
 15 tanta domi duris urget me rebus egestas,
 16 nulla recente magis candent mihi cymbia lacte,
 17 nil premo, nil superest, jugis tulit omnia victus.
 18 Vendita lana, nihil dedit horni vinea musti,
 19 nuper ut ex acidis facerem mihi pocula sorbis.

FAUSTULUS

20 Hoc commune malum totis jam regnat in agris,
 21 et plures eadem pastores damna queruntur.
 22 Sperandum est melius, non semper turbidus aer,
 23 clarius haec olim lustrabit nubila sudum,
 24 forsán et aspicias orientis cornua Caprae.

LYCIDAS

25 Quid sperem ? Toties ego spe deceptus inani
 26 perpetuo queror aerumnas durare tenore,
 27 deque meo nequeo mustelam pellere tecto.
 28 Quicquid ago, quocumque pedes me tramite ducunt,
 29 obvius est semper lepus, et mala concinit ales.

FAUSTULUS

30 Sic tua fata trahunt, dea sic fortuna volutat.

LYCIDAS

31 Esse deam credam ? Quae daemone iniquior omni
 32 tam male dispensat non justa munera lance ?
 33 Fausta malis, inimica bonis, caeca, invida, surda,
 34 tot beat indignos, altoque evectat honore,
 35 totque premit meritos, et in inum dejicit orbem.
 36 Quoque magis nequam est, tanto magis illa secundat.
 37 Utilius vixisse mihi, quam vivere duco,
 38 et satius foret aeternam dormire quietem,
 39 quam sic sollicitam misere traducere vitam.
 40 Cur sum natus homo ? Cur non cum nascerer olim,
 41 emundans necuit sacro me in fonte sacerdos ?
 42 Cur genitrix aliud non me natura creavit ?
 43 Vel quod tot patitur sine fine miserrima linum.

FAUSTULUS

44 Audieram, et constans fuit omnem fama per agrum,
 45 grande quod Eurynomum tibi promisisse juvamen,
 46 teque suam e silvis voluisse asciscere in aulam.

LYCIDAS

47 Promisit, verum est, et certa secuta fuisset
 48 verba fides, vulgoque aliquis jam forte putarer,
 49 impia de vivis illum nisi fata tulissent.
 50 Occidit, heu, nostrae pulcherrima gloria terrae,
 51 invictusque sui populi servator et auctor,
 52 quem gemit omnis homo, quem stent armenta gregesque,
 53 quem scopuli, rupes, juga, valles, antra, paludes,
 54 lustra, lacus, silvae, fontes et flumina lugent.
 55 Omne mei mallet pecus interiisset ovilis.
 56 Bina tamen moriens nobis hic pignora liquit,
 57 audentem specie nymphis certare puellam,
 58 et juvenem, patriae heredem virtutis, Adonin.
 59 Quem, si firma virum tandem solidaverit aetas
 60 (id superos unum rogit) mihi spero futurum
 61 praesidio, et durae quondam miserescere sortis.

FAUSTULUS

62 Hic iter hac hodie Marpurgum versus Adonis
 63 tendet, ubi hibernans natales incolet agros.

LYCIDAS

64 Vanane jam fictis succendis gaudia verbis ?

FAUSTULUS

65 Hoc ex urbe die rediens mihi rettulit Idas,
66 vidit hic armatos juvenes, stratosque caballos.
67 Dum loquor, ecce sonat vacuas hinnitus ad auras,
68 quadrupedansque venit mediis equitatus ab arvis,
69 jamne videns quod non tibi mentiar ? Aspice, quaeso,
70 compare ut insidens manno se jactet Adonis,
71 ante suosque dies in athena luce coruscet.

LYCIDAS

72 Non, etiam ex ipsis si praesens Juppiter astris
73 afforet, acciperent similem praecordia motum.

FAUSTULUS

74 Ergo leves properi confestim aptemus avenas.
75 Obviaque ex isto modulemur carmina clivo.

LYCIDAS

76 O ego quam cupidus si possem id Faustule vellem,
77 torpeo ut implumis frigenti pullus in imbre,
78 lurida labra tremunt, stupidos rigor occupat artus,
79 sunt lacerae, cernis, manicae, tritusque cucullus.
80 Si tamen argentes scapulis incussero palmas,
81 attentabo, sacrae dictate canenda sorores.

FAUSTULUS

82 Jam vicina magis subter vineta propinquat,
83 tu prior incipias, praesens tibi spirat Apollo.

LYCIDAS

84 Qui modo vos saltus alio sub sole Napaeae
85 accipiunt, quod habent nullos haec pascua flores ?
86 Praecipites plenis simul huc properate canistris,
87 spargite luteolas per compita, spargite calthas.

FAUSTULUS

88 O formose puer, formosa nate parenti
89 clara ducum soboles, divo sata stemmate proles,
90 huc attende parum, nec agrestes despice cantus,
91 nulla tibi pariant nostrae fastidia cannae.

LYCIDAS

92 TITYRUS Andinis licet in magalibus ortus,

93 Caesarea coram sua maiestate canebat
 94 carmina, et obtinuit quos olim perdidit agros.
 95 Nos utinam gratis possemus Adoni placere.

FAUSTULUS

96 Sic te virgo parens longum tueatur in aevum,
 97 et videas laetam post centum saecula senectam,
 98 quam similem ad generosa refert patris ora decore.
 99 Martius admista resplendet Pallade vultus.

LYCIDAS

100 Claude tuos oculos, radiosaque lumina conde.
 101 Quis tantum poterit vel nivens ferre nitorem ?
 102 Non etiam magni quae fert Jovis arma volucris,
 103 Phoebeum licet inspiciat non degener orbem.

FAUSTULUS

104 Imo aperi, et tristi profer nova gaudia mundo,
 105 sed cave ne placida te contuearis in unda.
 106 Hoc, tibi nil simili Narcissus imagine, fecit,
 107 tabificoque sui factus flos haesit amore.

LYCIDAS

108 Talis crediderim juvenili Bacchus in aevo
 109 conspiciendus erat, comitantibus undique nymphis,
 110 cum Nysaea levi transmisit pascua curru,
 111 inque pigro altorem Silenum risit asello.

FAUSTULUS

112 Imo qualis, ubi Deli juga visit, Apollo.
 113 Sed tu parvus adhuc puer es, tua pullulat aetas.
 114 Non secus ac virides rumpentia lilia thyrsos,
 115 quaeque in odoriferis rosa coepit hiare rubetis.

LYCIDAS

116 Felix haec nimium, nimiumque beata puella,
 117 te quondam in sociis thalamis fruitura marito.
 118 Si modo mortalem non dedignabere sponsam,
 119 nec promissa sibi qua dearum vincula sperat.

FAUSTULUS

120 Hi quoque felices, quibus hoc sua vivere tempus
 121 fata dabunt, quo tu patriis sublimis in armis,
 122 atque virile latus forti circumdatus ense
 123 commissa Hessiaci moderabere frena Leonis.

LYCIDAS

124 Magna tuo populo certa spes indole surgit,

125 macte vigore puer, bellacem imitare parentem,
 126 et secura vagae pascent per lustra capellae.
 127 Desinet infestus pecudes abducere miles.

FAUSTULUS

128 Aurea purgatos pax amplexabitur agros,
 129 et quibus adversos armis modo rusticus hostes
 130 arcet eis pinguem, facto tunc vomere, terram
 131 scindet, et excluso tutus colet arva timore.

LYCIDAS

132 Omnia melle fluent, pia largiter omnia tellus
 133 proferet, immensa rumpantur ut horrea messe.
 134 Magna nec accipiant infusum dolia mustum,
 135 plenaque stent saturi noctu ad praesepia tauri.

FAUSTULUS

136 Ipsaque tunc repetent antiquos flumina cursus,
 137 nec magis excrescens tantam cataracta saburram
 138 ejiciet, multae qua jam periere novales,
 139 esaque prata diu vulsum traxere salictum.
 140 Hanc ego adesse diem tantis desidero votis,
 141 quantis alma novi cupimus fore tempora Maii,
 142 dum tenues longo balant sub frigore caprae,
 143 consumptaque vacans farragine pendet ahenus.

FAUSTULUS

144 Tunc ego gauderem, tua si mandata venirent,
 145 sive putrem vernaesementi findere terram,
 146 sive tuae jubeas ligna advectare culinae,
 147 nec gravius toto plastrum hoc ex rure videres.

LYCIDAS

148 O tua si mihi tunc vel servo armenta liceret
 149 ducere, quam pingues his vellem quaerere campos,
 150 nec me luce querens cantu superaret Aedon,
 151 quam minus aestivo fragiles sub sole cicadae.

FAUSTULUS

152 Non ego plus possum, graciles stridere cicutae
 153 incipiunt, ductisque sonum disperdere rimis.

LYCIDAS

154 Vidisti ? Faciles arridens flexit ocellos,
 155 spero quod augustas pervenit carmen ad aures.

FAUSTULUS

156 Ah, gravis armorum crepitus, circumque strepentes

157 quadrupedes istum nequeunt admittere cantum,
 158 et tot eum stipant mimi, scurrae, parasiti,
 159 totque fori rabulae, tot inertes undique vappae
 160 invisum quibus est nostrae modulamen avenae,
 161 qui, quoscumque vident canere, aversantur agrestes,
 162 ac malus essemus, quem dant funalia, nidor,
 163 nos abigunt, seseque adigunt, sua commoda quaerunt,
 164 invidiosus eis vates, odiosus Apollo.

LYCIDAS

165 Utcumque est, ea nos illum audivisse putemus,
 166 et vana stolidi sic credulitate fruamur.

ECLOGA SECUNDA. MOPSUS ET AEGON.

MOPSUS

B_2 v.1 Mirabar quid in his grunniret vallibus Aegon,
 2 et citus ardenti solvebam lora molosso,
 3 deprensum veritus, quem dudum quaerito, porcum,
 4 nam mihi visus heri lupo hoc intrare rubetum.

AEGON

5 Si tu tam bonus es calamos inflare magister,
 6 cur tibi nulla tuo dependet fistula collo?
 7 Quin hanc accipias, quam nos male pegimus ipsi,
 8 nec tamen ex Italis, sed quas habet Aedera, cannis,
 9 et videam an referas morientis guttura cygni.
 10 Non est qui docili quicquam mihi praecinat ictu,
 11 nil nisi quod resonans sub nocte repercutit Echo
 12 audio, cum jactat confinis carmina pastor.
 13 Tunc ego, si placido sunt alta silentia caelo,
 14 nec movet antiquam ranarum turba querelam,
 15 subsequor, et memori dictatum pectore condo.

MOPSUS

16 Nescio quos mores haec secum tempora portant,
 17 jungit inaequales jam quisque colonus avenas.
 18 In quoscumque gregem campos ago, garrula stridet
 19 fistula, et incisis circum sonor undique culmis.

AEGON

20 Gratulor ergo quod hoc nasci mihi contigit aevo,
 21 quod tot nostra tulit passim per rura poetas.

MOPSUS

22 Perfide, nonne pudet vos appellare poetas ?
 23 Qui modo vix orsi fragili garrere cicuta,
 24 nescitis vacuum distendere flatibus utrem.
 25 Certe equidem satius vos conticuisse putarem,
 26 quam mala ridiculo disperdere sibila scloppo.

AEGON

27 Quid modo ? Nonne boni Corydon, Meliboeus, Amyntas,
 28 et similes alii, possum bene dicere, centum.

MOPSUS

29 Omnes non unum facitis quotcumque Poetam,
 30 qualem ego in Ausoniis audivi finibus olim.

AEGON

31 Quo refer Ausonios vidisti tempore fines ?

MOPSUS

32 Tunc ubi jam decimum Romana ad moenia lustrum,
 33 Christicolas omni gentes contraxit ab ora
 34 ad veniam, et summus solvit peccata sacerdos,
 35 impressumque dei tenui in velamine vultum,
 36 et sanctam ostendit Petri clavemque mitramque.
 37 Haec, utinam dignus, coram tunc omnia vidi.
 38 O quam longa via est, positas hic esse columnas
 39 credo, quibus nixum dicunt decumbere caelum.
 40 Hinc magis admiror, quod non priora videntur
 41 sidera, quam soleant nostros attingere montes.
 42 Est breve transmissis post tres iter Alpibus ortus,
 43 quo vetus in tractu patet urbs, modo nescio nomen,
 44 non procul undosus lacus est, quo defluus annis
 45 contiguos bifida muros allabatur unda,
 46 uber ager, laeti colles, satis ampla que circum
 47 pascua, mox dicam tibi, jam scio, Mantua fertur.
 48 Hic nivei dominus pecoris prope flumina pastor,
 49 ad viridem recubans in opaco frigore clivum,
 50 sustulit argutos altum super aethera cantus,
 51 quos non fagineae superent dulcedine glandes,
 52 non mixtus butyro favus, et non molle colostrum.

AEGON

53 Jam scio qui fuerit, quo, dic, indutus amictu ?

MOPSUS

54 Quo pecus hoc etiam fuit illi palla colore.

AEGON

55 Candidus est, gelida qui Faustum lusit in umbra,
56 ut retulit veteres Gallam quibus arserat ignes.

MOPSUS

57 Nunc age, dic isto tibi quid de vate videtur ?

AEGON

58 Omnia consequitur magnas per ovilia laudes.
59 At fuerat felix in eisdem TITYRUS arvis,
60 non levibus tantum silvestria ludere cannis,
61 sed fera magnorum doctus quoque proelia regum
62 ingenti cantare tuba lituoque sonoro,
63 debita cui cessit victoria, iudice Pane,
64 et penes hunc auctor propriam fore dixit Apollo.
65 Dixit, et ipsa fides sequitur, semperque sequetur,
66 quod vero nostris male de pastoribus audes
67 hoc dare iudicium, facit aut antiqua simultas,
68 aut quod erit potius, tantarum inscitia rerum.
69 Adde quod ii noti coram obversantur, amici
70 omnibus, hinc facili sic consuetudine sordent.
71 Ut docet indutus Christi nos voce sacerdos,
72 in patria non est acceptus gente Propheta,
73 advena fama volat semper majoribus alis.

MOPSUS

74 Non sum adeo ignarus : scio qui bene, qui male cantat.

AEGON

75 Dic mihi quid calles ramos nisi fundere bombos ?
76 Quando cies flato porcos in pascua cornu,

MOPSUS

77 quod mihi commodius, quam sunt mala carmina vobis,
78 texere fiscellas, piscari, stringere scopas,
79 inventaque tenax tilia deglubere suber,
80 et quaecumque vacans solet exercere subulcus.
81 O mihi quam melior cunctis haec subula musis
82 flexaque (luxati quamvis) est lamina cultri,
83 quae vacuum rursus replent mihi saepe salinum,
84 dantque fere toto quotquot terit usus in anno
85 perones, manicas, ollas, obbasque, cadosque.
86 Quae refer utilitas vestris ex cantibus istis
87 suppetit ? Invenio nullum, qui carmine parvam
88 sustentare domum, tenuemque acquirere victum
89 possit, inauditi laceris in vestibus itis,
90 vix male defendit consutilis inguina cento,
91 nuda rigent genua, attrita pes exit aluta,
92 et madidi pluviis stillant per pilea crines.

AEGON

93 Hujus id est vitium saeculi, morumque malorum,
 94 jugibus et certe res fleri digna querelis,
 95 tale dei stupidos homines contemnere donum.
 96 Si foret haec, qualis dum vixit Tityrus, aetas,
 97 si docti saperent reges, et cederet umquam
 98 horrida barbaries, et atrocis classica belli,
 99 candidior miseros vates fortuna bearet,
 100 et sua respiceret tristes tutela camenas,
 101 forsitan et nostrae tunc audirentur avenae.
 102 Saxonibus tamen hac dux tempestate colonis
 103 imperat, aeternum mittens in saecula nomen,
 104 qui facili auscultat cantantes aure Poetas.
 105 Quandoquidem Aonidum percussus amore sororum
 106 disparibus quondam dedit erudienda cicutis
 107 ora, nec erubuit virides habitare miricas.
 108 Quos videt hinc illis vates incumbere sacris,
 109 et per finitimas pastores ludere silvas,
 110 alter ut Augustus sublimem asciscit in aulam.
 111 Praeterea patrium compascua saepsit ad Albim,
 112 undique perpetuum labentibus humida rivis,
 113 in quibus hi cantent alterno carmina versu,
 114 seque agitent propter cincturam tempora laurum,
 115 quam quoque et ille sacra primus de Phocidis ore
 116 transtulit, et nostris coalescere jussit in agris,
 117 ut minus Eurotae ripas modo tegmen inumbret.

MOPSUS

118 Pollicitos plures vidi, qui multa dedissent
 119 nullos, at dederit quisquam bis, terve, quaterve,
 120 non tamen hoc semper faciet, licet indigus ores.
 121 Nil magis offendit, quam crebrum poscere munus.
 122 Has igitur linquens alias amplectere curas,
 123 quae tibi tam parvum possint augere caprile,
 124 pallentemque famem de paupere cogere tecto.
 125 Ut gravidam tecum portes in pascua bulgam,
 126 utque sit (optatus si forsitan venerit hospes)
 127 quod super instratam promas e caudice mensam,
 128 plenus lacte calix, inscripti meta butyri,
 129 molles caseoli, bimae praesegmina pernae,
 130 et quae fictilibus servantur salgama vasis.

AEGON

131 Ut suspensa suas vitis complectitur ulmos
 132 lentis capreolis, serpentes saxa corymbi.
 133 Sic ego dilectas mihi maxima numina musas,
 134 qualemcumque etiam faciant per ovilia famam,
 135 non ut vel minimum contendam vincere vatem,
 136 aut aliquam sperem, quamvis miser, inde salutem,
 137 sed quia dulce placet tantum mea gaudia carmen
 138 unica curarum requies, et sola voluptas.

MOPSUS

139 Formidata famens tandem lupus oppida quaerit,
 140 ex alio quondam mutatus corde loqueris,
 141 cum tenuem ante focum plorans jejunia proles
 142 concutit assiduis patrias vagitibus aures,
 143 ille "buas" frustra, "pappam" tibi clamat alter.
 144 Tunc, scio, tu raucos in grandia mulctra fluores,
 145 gratius audires pressantibus ubera palmis.
 146 Et melius sub fuste melos percussa daret sus,
 147 quam quae vis referam morientes guttura cygni.
 148 Dulcius est carnem quam carmen dicere verbum,
 149 non steriles prosunt ad inania viscera cantus,
 150 quos faciunt tauri vestris ego praefero versus.

AEGON

151 Fervidus urget amor mea (quo trahit ille sequuntur)
 152 vota, nec ulla umquam declinabuntur habena.
 153 Tantus et in calamos affectus crevit et arsit,
 154 ut nihil utilius, nihil oblectantius illis
 155 praetulerim, Venetae advectent licet omnia naves
 156 quaecumque Indus, Arabs, et Seres munera mittunt.
 157 Naiada non ardens ita Pan Syringa petivit,
 158 facta paludoso cum margini inhaesit arundo.
 159 Non ita conspectas Satyrorum turba Napaeas
 160 gliscit, ubi primis redimitae tempora fertis
 161 enixae celebrant thalamos epulasque Cybelles,
 162 et jam laeta suo cuculus facit omnia cantu.
 163 Nec volo, nec possum talem compescere mentem,
 164 non mea me proles, me non remorabitur uxor,
 165 nec quae mecum hiemat, mecumque aestivat egestas,
 166 o si quis medias raptum me turbo per auras,
 167 sisteret umbrosum Parnassi in rupe sub antrum.
 168 Ut prope congressus Phoebumque deasque viderem,
 169 imbiberetque meum praesentia numina pectus.
 170 Contigit hoc patriae cuidam sub vallibus Asbrae,
 171 et sacer hinc subito cecinit nova carmina vates.

MOPSUS

172 Quo juvat usque tuo demens errore labora.
 173 Postquam nulla potest illo te cura levare,
 174 rapa subintrantes abeo convertere scrofas.

ECLOGA TERTIA. THYRSIS ET DAMON.

THYRSIS

B_3 v.1 Quae mihi sola meae duxi solacia vitae,

2 et cupidus toties superos optata rogavi,
3 possideo tandem, laeto gratare sodali.

DAMON

4 Quis novus hic plausus, quae te fortuna beavit ?

THYRSIS

5 Forte tibi visa est cantoris fistula Batti,
6 quam modo discedens, Prussos ubi quaereret agros,
7 venalem exposuit cum pastoralibus armis.
8 Hanc ego nunc emi, pretium tu conjice.

DAMON

9 Dic age dum quanti constat tibi, quinque dedisti
10 vel, si cara fuit, sex (et non amplius) asses.

THYRSIS

11 Hoc ostende forum, talem centusse licebor.
12 Crede dedi septem candentis vellera lanae,
13 insuper ex hornis quadrimestrem foetibus agnum,
14 additus est etiam majoris caseus orbis.
15 Et vix obtinui, vendens juravit Iollas
16 tres dare verveces Moerim voluisse caprumque.

DAMON

17 Stulte puer, levium fervens dulcedine rerum
18 parcius emissas quorum foret indigus usus.

THYRSIS

19 Quid teretes reris calamos, quid rasile buxum,
20 quid niveos eboris circlos, et quicquid ubique est.
21 Aspice quam doctus media internodia tornus
22 sculpsit, et ut vivae circum ipsa foramina musae
23 vera, suum quaevis, insignia et organa gestent.
24 In medio praeses citharam ferit agmine Phoebus,
25 nec similem dices te lentis pellibus utrem
26 vidisse, Aepolides hunc concinnavit Amyntas.
27 Attamen hiscentem longo jam solis ab aestu
28 diluto liquidi sublevimus unguine sevi.

DAMON

29 Sat modo laudasti, quae sit sonus ipse docebit,
30 quare si quod habes carmen, modulare parumper
31 dum satur in gelidis grex pabula ruminat umbris.

THYRSIS

32 Nullus in hoc usus studio est, vere inscius artis
33 Non agili possum voces infringere tactu.

DAMON

34 Omnis erat vitulus qui jam fert cornua taurus.
 35 Non bene qui numquam male, nulli innata magistro
 36 ars venit, assiduis opus est insistere curis.
 37 Ut bonus hoc sciret labrum contrivit Amyntas.

THYRSIS

38 Pareo, vicinum mecum succede sub antrum,
 39 qua cavus exesa resonat testudine tofus.

DAMON

40 Aspicias ut summae motare cacumina silvae
 41 cessant, et tacitum patulas nemus arrigit aures
 42 incipe, sic teneros tibi Pan custodiat haedos.

THYRSIS

43 Diva Jovis proles demissae ex aethere musae,
 44 dicite quae major Veneris dicione potestas,
 45 quid miserabilius quidque infelicius, et quid
 46 durius humanae poterit contingere vitae ?
 47 Formosae cupido Crocales accensus amore
 48 DAPHNIS ab aerae sic coepit vertice rupis.
 49 Totus amoena foret campus violaria vellem,
 50 omnigenosque daret flores colocasia, stacten,
 51 balsama, narcissos, hyacinthos, lilia, calthas,
 52 smilacas, abrotonum, samsucum, nardon, amomum
 53 et quodcumque bonos exhalat germen odores,
 54 ut mea quando aderit mihi quam promisit ad horam
 55 inveniatur Crocale teneros quo pascatur ocellos,
 56 effusasque comas tepidis sub solibus unget,
 57 et mihi ne dicat, quid sordida rura pererras ?
 58 Quae laceras intra saepes hic gaudia quaeris ?
 59 In taline juvat te rusticitate morari ?
 60 Atque adeo misere fumosis degere tectis ?
 61 Immundas ad haras olidaeque natabula cortis,
 62 multus ubi fimus est lutulentae suntque paludes,
 63 campestrisque trahunt semina cadavera corvi.
 64 Bella veni Crocale, nec talem concipe mentem,
 65 non fuge quae superum spernentes aethera divi
 66 delicias petiere suas, factique coloni
 67 magno in honore pios habitarunt inter agrestes
 68 posthabito quod idem multi diademate reges
 69 fecerunt, veteres ut narrare parentes.
 70 Nec meo ab officio videar tibi vilis amator,
 71 hoc quoque praecipuum fuit et laudabile munus,
 72 aurea quando novi fulserunt saecula mundi,
 73 et prima innocuis esset mortalibus aetas,
 74 plus quam sceptrum pedum laudis decorisque ferebat.
 75 Rege parente satus Phrygiae sub vallibus Idae
 76 paverat armentum Paris, altae moenia Romae
 77 accepere suum quondam a pastoribus ortum.

78 Quid loquor haec ? Sacri quibus enthea corda prophetae,
79 per quos ipsa suas mulgarunt numina leges,
80 pastores fuerant, casta vix natus ab alvo
81 ad pecudes voluit primum innotescere Christus.
82 Qui quoque se dixit Pastorem, cernis in aede
83 ut vinctum es humeris succollans bajulet agnum.
84 Agnus et ipse dei dignatus ovisque vocari
85 quos sibi plus aliis fidos habuisset amicos
86 pascere jussit oves, hinc magnus in urbe sacerdos
87 insignis baculo dominatur in omnia Pastor,
88 et magis hoc gaudet quam summi nomine regis.
89 Nec tamen hanc laudem terrarum terminat orbis :
90 indecor est visus quondam caelestibus aether,
91 addita ni fuerint nostrae quoque munera caulae,
92 quae modo clara micant nocturno sidera caelo
93 Pan, Aries, Taurus, Capra, Haedi, Suculae, Aselli,
94 plenaque perpetuo juxta praesepia feno,
95 ausus et adverso canis occursare Leoni.
96 Sic doctus caelum, et venturi praescius imbris
97 rettulit Arnophylax, docet experientia verum.
98 Vidimus aestivis ad crates noctibus ipsi
99 saltare ignitas altum per inanecapellas,
100 saepeque succensis lucere Parilia culmis.
101 Quin, ipsi immortale Jovi qui fundere nectar
102 dicitur, in patria pecudes servaverat Ida.
103 Sic etiam posita caelestis imagine lucis
104 Thessalicum juxta fluvium versatus Apollo,
105 quod majora hominum genus his praeconia tollunt ?
106 Est nihil in nostra quod condicione recuses.
107 Quod jure objiciens coeptum asperneris amorem,
108 attamen huic timeo madidus ne interpluat imber,
109 ne me divitior se donis impicet alter.
110 Quanta puellarum nostra haec aetate cupido
111 creverit, emuncti tot jam testantur amantes.
112 Sum puer, at memini, quo magnum tempore munus
113 esse putabatur, si textam flore corollam
114 quis daret, et paucas in parva sindone spintres.
115 Nunc poscunt Tyrio splendentem murice limbum,
116 et grave bracteolis strophium, fulvumque monile.
117 Haec dare non possum, mea solae dona capellae,
118 caseoli, pira, poma, nuces, his dives abundo,
119 quae selecta tibi dum veneris optima servo.
120 Et cicur in clauso malueta lepusculus horto
121 pascitur, hic molli dudum tibi tergore crescit.
122 Praeterea scio qua gemibundus in arbore turtur
123 educat exclusos, quondam tua gaudia, pullos,
124 quos ego quaque diu solitus bis visere luce,
125 praeveniens volucres ne amittam, denique tollam,
126 contristabo pios, ut tu sis laeta, parentes,
127 hei mihi plus misero quam se conspectus in unda
128 Narcissus Daphnesque petens frustra oscula Phoebus,
129 haec tibi si Crocale pertaesae munera sordent,
130 et nullum modo vis oblita agnoscere Daphnim.
131 Sed mihi non opus est quid tale timere futurum,
132 supremi quoties reminiscor ab urbe recessus.
133 Si numquam fictae lacrimae, si vera fuerunt,

134 quae tunc ex roseis audivi verba labellis.
135 Sanctum conchifero patet extra valla sacellum,
136 cujus summa frequens circumdat saxa corymbus,
137 et prope sublimis pandit sua brachia quercus.
138 Huc mea me Crocale clam dura matre secuta
139 talibus alloquitur (juvat has meminisse) querelis :
140 "Unica Daphni salus, mea spes, mea Daphni voluptas,
141 te precor occultum miserere fatentis amorem,
142 quo penitus tactae dudum incalvere medullae.
143 Quemque verecundus pudor hanc celavit in horam,
144 cogor in audaces jam nunc erumpere voces.
145 Inter tot juvenes, quot festa luce sub ulmum
146 conveniunt, ducuntque leves de more choreas,
147 qui mea sperarunt socio connubia lecto,
148 nullus erat, qui per sua blandimenta, vel ampla
149 munera, virgineam potuisset flectere mentem,
150 ante meas quamvis alta sub nocte fenestras
151 assidui blanda jactarent carmina voce,
152 et locuples agri fuit, et formosus Alexis.
153 At tu nescio qua mihi cor dulcedine vincis,
154 ignotoque animos tabescere vulnere cogis.
155 Sed levis ante fuit qui nunc gravis aestuat ardor,
156 tristia cum caro privantur lumina pastu,
157 dimidiumque meae divelli sentio vitae.
158 O tua si numquam mihi visa fuisset imago,
159 non his ingemerem curis, nec in ignibus essem,
160 quid faciam deserta ? Quid est cur vivere sperem ?
161 Non ego te fracti per parva foramina vitri
162 amplius aspiciam, tenuem dum texo mitellam."
163 Nondum finis erat, cum me malus eminus Alcon
164 ut sequeretur magno exspectans clamore vocabat.
165 Pallidior buxo Crocale tunc ire volentem
166 suspicit, et niveis me circumplectitur ulnis,
167 cumque "vale" extrema cuperet proferre loquela,
168 impediunt medium lacrimae et suspiria verbum,
169 proque sono creber madido singultus ab ore
170 excidit, et junctae luctantur flebile palmae,
171 hunc ego cum vivus potui tunc cernere planctum,
172 non aliquem tristi credam periisse dolore.
173 Quis veterum quam nos umquam plus flevit amantum ?
174 Dura nimis miserum tunc me fortuna trahebat,
175 jamque tenet, non a pleno licet ire caprili,
176 non alias esses mihi tot non visa diebus,
177 tantus ab illa animos nobis furor abstulit hora.
178 Nulla magis requies, me mutuus ignis adurit,
179 Sicelis ut simili non ferveat Aetna camino.
180 Nescieram qualis res esset amare, sed, eheu,
181 nunc miser experior, quam sit lacrimosa voluptas,
182 quam plenusque aloes favus, oblectabile vulnus,
183 alta querelarum piscina, doloris abyssus.
184 Quam male discrucier, quanto vagus impete ducar,
185 vos patulae testes fagi, quas omnibus horis
186 impatiens misere sublimi persono cantu,
187 ut jam quaeque meos volucris moduletur amores.
188 Vos quoque in his omnes scitis convallibus alni,
189 inciso Crocales quae fertis nomina libro,

190 quos gemitus, et quae semper lamenta profundam.
 191 Dii faciant felix ut huic sit finis amori,
 192 inque meum veniat tandem nova nupta cubile,
 193 et matres claudat Crocale, et mihi mulgeat agnas.
 194 Longius est carmen, sed non memor omnia servo,
 195 haec cantante semel nuper Corydone notavi.

DAMON

196 Non ita post factos dulce et cessare labores,
 197 nec saliens adeo blando juvat unda susurro,
 198 quam tuus hic cantus, tenerum cape praemia caprum.

ECLOGA QUARTA. MELIBOEUS ET MOERIS.

MELIBOEUS

B_4 v.1 Moeri, vides, flava procumbit messis arista,
 2 congestaeque procul surgunt per jugera metae,
 3 si placet hac tonsos una ducemus in agros,
 4 gratius in stipulis pecori modo gramen abundat.

MOERIS

5 Quo meliora putas jejunis pascua bobus,
 6 ut saturos multo ventres cum lacte reportent.

MELIBOEUS

7 Quod mihi consilium, vel quam dabis ipse medelam ?
 8 Quam prope vinetum nigram sub saepe juvencam
 9 conspicis, albenti vestigia tangere cauda,
 10 nuper (ut est segetum furax trans omnia fertur)
 11 in sude comprehensum saliens sibi diffidit uber.
 12 Quas potui didici medicinas, terque quaterque
 13 flexa genu arcano lustravit murmure Lisis.
 14 Sed nihil adjuvit, duplici nisi strinxero filo,
 15 assiduo stillat lacerata fluore papilla.

MOERIS

16 Nulla mihi in medicis est experientia rebus.
 17 Cum venit aestivos ponens Autumnus honores,
 18 caede saginatum gelidae in convivia brumae.
 19 Molle tibi cordum, sunt pleni caulibus horti,
 20 et cum triticeo contisum furfure stramen.

MELIBOEUS

21 Hoc grave vixque mihi post hac reparabile damnum,
 22 non melior nostris alia a praesentibus exit,
 23 quoque replet spumans et mane et vespere mulctrum,
 24 nec dum (bis connixa licet) quintum attigit annum.
 25 Cernis adhuc paucis circumdata cornua nodis ?

MOERIS

26 Consule vicino pascentem in rure Philetam,
 27 a vetulis doctum, multas hunc matribus herbas
 28 scire ferunt varios pecudum depellere morbos.
 29 Forsan et hoc aliquo faciet coalescere vulnus.

MELIBOEUS

30 Haec alias, i jam, tuus est in vitibus hircus,
 31 curre celer, malus est teneris hic vinitor uvis.

MOERIS

32 Huc ades, huc audis, ades, ah, nil verbera curas.
 33 Non sapiens, nisi torva pedum tibi cornua frangat,
 34 discussaque trahas vinctum suffragine librum.
 35 Interea tamen hanc ad costas accipe plagam.
 36 Quam bene tu dudum sacras deductus ad aras
 37 debita placando cecidisses victima Baccho.
 38 Versum coge pecus, laevi ad declivia dumi,
 39 sic sua sunt etiam simis virgulta capellis.
 40 Cernis ut alterno tardus pede claudicet hircus.
 41 Peneque diffracto secum trahat ilia dorso ?

MELIBOEUS

42 Hoc modo non pudeat me, discere Moeri magistro,
 43 si posthac aliquam pecudem percusseris umquam,
 44 non ita te saevum facili ferat impetus ira
 45 in mediam, baculum qua gesseris, exspue palmam.
 46 Innocuus nulli mortem sic inferet ictus.
 47 Non anus hoc Phillis docuit, sed maximus Auson,
 48 in grandique mihi legisse volumine dixit.

MELIBOEUS

49 Ergone quae Phillis docet haec tu falsa putabis ?
 50 A qua praedonum didici adjurare luporum
 51 incursus, ne quis cupiatve queatve nocere,
 52 quod mihi si nolis forsitan tu credere verum
 53 ter super armentum tria dicam verba, videbis.
 54 Tunc adjuratis caudam his permittite vel aurem
 55 in bove, qui multis erret per lustra diebus,
 56 vel medio, quando est furor esuriesque decembri,
 57 non nisi vel cauda veniet, vel saucius aure,

MOERIS

58 Magna refers, acri sed plus ego fido Molosso,
 59 et quamvis fragili consaeptae vimine mandrae.
 60 Quam tamen haec tentem potius mendacia credam.
 61 Securum per aperta pecus jam rura vagatur,
 62 nullus ei caeco lupo insidiatur ab antro,
 63 et calidos Phoebus paulatim colligit ignes.
 64 Quando vacat grata frigus capiamus in umbra,
 65 qua vicina patet diffuso tegmine fagus.
 66 Aspice quam varii flores, quam pulchra virenti
 67 caespite ridet humus, molle est utrimque sedile,
 68 et per amoena sonat fugitivus gramina rivus.

MOERIS

69 Desidiosa sumus pastores turba, supini
 70 in viridi tremula sub fronde quiescimus herba,
 71 nostraque compacti tantum est meditatio culmi,
 72 interea sudat fervente colonus in aestu.

MELIBOEUS

73 Haec modo, non semper, sunt nobis otia nosti.
 74 Quid ? Cum tristis hiems Scythicis defertur ab oris,
 75 nudaque stat passim delapsis frondibus arbor,
 76 omnis canet ager, concretaque flumina torpent,
 77 numquid sollicitus per summa cacumina pastor
 78 esuriens cogit pecus ? Altum carpere muscum
 79 vix datur, et secta ramos arrodere quercu.
 80 Tunc miser upilio, cui non grave pabula plastrum
 81 artat, et absumpto pendent praesepia feno,
 82 excutit oppressas nive per montana miricas,
 83 accipit adversi Boreae penetrabile flamen,
 84 nequiquam tenerae munitus nebride caprae.
 85 Interea laeti post condita farra coloni,
 86 cum modo signatos tritura coegit acervos,
 87 magnos ante focos antiquae sacra Vacunae
 88 concelebrant, gravis in corylo dum volvitur anser,
 89 et nova defervent oppletis musta culullis.

MOERIS

90 Suspice, quid levi post ramum in cortice scriptum est ?
 91 Plurima turgidulis concrevit littera rimis,
 92 magnaque compositos ostendit pagina versus.

MELIBOEUS

93 Perlege quam primum, tu me procerior exstas.

MOERIS

94 Non queo porrecto discernere singula visu,

95 quod jacet ad vepres advolve et subjice saxum.

MELIBOEUS

96 Quis tamen illius, miror, sit carminis auctor,
 97 num puer Antigenes ? Sed erit, scio, Gosius Horlus,
 98 dicitur hic sacri vidisse cacumina montis,
 99 primus et Hessa novem duxisse per arva sorores,
 100 posseque digna deo cantare poemata Phoebos.
 101 Est tamen illius docilis Mnasyllus alumnus,
 102 qui superet tantum calamis et voce magistrum.

MOERIS

103 Ipsa quis hic fuerit (vis audi) exordia dicunt.
 104 Caprigeni ductor pecoris Simithusius Aegon
 105 quicquid id est caro modulans inscripsit amico.

MELIBOEUS

106 Numquid et is dulces inter strepit anser olores ?
 107 Stridula sic simulat vocalem vespa cicadam,
 108 et per odoratas prorumpit corchorus herbas.
 109 Sed tu perge, meas tibi surrigo sedulus aures.

MOERIS

110 "Totius effigies mundi venerabile numen,
 111 cui duo praefigunt rubicundam cornua frontem,
 112 et sonat imparibus septemplex fistula cannis,
 113 seu Tegeaeus ager, seu te tua Maenala servant,
 114 magna Pales, simul alma Ceres, intonseque Bacche,
 115 et vos cum Satyris Fauni, Nymphaeque sorores,
 116 Naiades, Dryadesque, et Oreades, atque Napaeae,
 117 quae juga, quae silvas, quae florida rura tenetis,
 118 denique vos omnes agrestum diique deaeque,
 119 oro meis faciles advertite cantibus aures,
 120 et propiore pios attendite mente precatus.
 121 Si qua colonorum vobis substantia curae est,
 122 aut aliquam saturi tutelam ruris habetis,
 123 hanc precor hanc omnem praesenti impendite fundo,
 124 quem meus hic multo coluit sudore Menalcas
 125 frigoribus toties contractus et humidus Austris,
 126 ne quis abarmentans subeat frumenta juvencus,
 127 aut pedicam exutus dum stertit agaso caballus,
 128 nullum in eo lolium nullae innascantur avenae,
 129 non asper tribulus nec acuta carduus herba.
 130 Cum veterem repetit jam visa ciconia nidum,
 131 et mediis pendens sublimis alaunda sub auris,
 132 nuntiat aptato ver nactum scindere dente,
 133 mane senis thalamos linquens Aurora mariti
 134 exprimat humentes fecundo rore capillos,
 135 caelestisque pluat tacitum dulcedinis imbrem,
 136 quo tumidae accipiant genitalia semina glebae.
 137 Tunc procul ex alta glomerantes urbe columbae ;
 138 et malus absit aper, tranansque ad Strymona nubes.

139 Proveniant gravido praegnantes mergite culmi,
 140 et sectae non ampla satis sint horrea messi.
 141 Usque precor prono mea vota capessite nutu,
 142 quando renascentes ostendit vinea gemmas,
 143 insolitum prohibete gelu, vermesque malignos.
 144 Ipse fovens teneras defendat pampinus uvas,
 145 ut cum vimineas aperit vindemia saepes
 146 rauca fluant multis ad prelum labra diebus,
 147 quodque cados quondam, repleat tunc dolia mustum.
 148 Non rapidus clauso lupo insidietur ovili,
 149 non corti vulpes, nec adunco milvius ore.
 150 Non apibus meropes, non mellitaxo nec ursus.
 151 Cumque expulsa novas quaerunt examina sedes,
 152 non longinqua petant fugitivo lustra volatu.
 153 Demum quicquid habet rerum meus ipse Menalcas
 154 in vestras commendo manus, facitote perenne,
 155 annua multiplici cum fenore dona redundant.
 156 Hoc bene de nobis pastoribus ille meretur,
 157 quos inopes fovet ac nutrit, quibus omnia pandit
 158 dapsilis ignotis etiam advenientibus hospes.
 159 Solus is hac tristes in tempestate camenas
 160 respicit, investes miseransque e sorde poetas
 161 erigit, et miti largitur plurima corde.
 162 Quod mihi jam caeso pinguent carnaria porco,
 163 et premit infusus nutantia tigna siligo,
 164 immo quod hos habitat vitalis spiritus artus,
 165 illius innumeras pietati debeo grates.
 166 Ni foret hic non ipse forem, mea pendet ab illo
 167 vita, velut salvo crescens in palmite botrus.
 168 Ergo prius verso retro fluet Aedera cursu,
 169 nutantique ruens desidet vertice Beurus
 170 quam tanti, et moriens, oblitus dicar amici.
 171 In quaecumque olim pecudes ego pascua ducam,
 172 si quicquam fragili poterit mea fistula culmo.
 173 Tam mihi munificum semper cantabo Menalcam,
 174 donec in hoc vegetus palpabit corpore sanguis.
 175 Utque sciat seris ventura nepotibus aetas,
 176 omnibus incidam per silvas carmina fagis.

MELIBOEUS

177 Quod juvenis tantum posset, quis crederet, Aegon ?
 178 Scilicet hoc fuerat, primis quod parvus in annis
 179 quando meis festa pueris in luce coiret,
 180 contemptis nucibus, baculoque, pilaque trochoque,
 181 poneret in solis ludens solacia cannis.

MOERIS

182 Crescite crescenti dulces in cortice versus,
 183 perpetuosque dies nostro supereste Menalcae.

ECLOGA QUINTA. ALPHESIBOEUS, TITYRUS.

ALPHESIBOEUS

B_5 v.1 Quae meliora tuus furtim grex arva tenebat,
2 hoc quod heri nusquam tu sis mihi visus in agro ?

TITYRUS

3 Tamquam te lateat, quod rustica turba quotannis
4 festum concelebrat, quo clausum pastor ovile
5 deserit, et pingui convivia praeparat agno.

ALPHESIBOEUS

6 Hei mihi, quid dicis ? Video me, Tityre, ludis.

TITYRUS

7 Ecce novae manicae, nova pera, novusque cucullus,
8 et duo perones, testantes moenia merces,

ALPHESIBOEUS

9 me pudet et doleo, quis me malus abstulit error ?
10 Immo sacerdotem, qui nostrae praesidet aedi ?
11 Hic per adhaerentes compressis naribus orbes
12 inspecta tabula, postquam, quid nescio mussans,
13 percurrit novies numeratam pollice dextram,
14 illud ad hebdomadam nobis ait affore sacrum.
15 Saepe tamen reputans festorum lapsa dierum
16 tempora, qua viridis turgeret imagine tellus,
17 et quod Strymoniae dudum rediere volucres,
18 non adigi potui quin hoc ego credere nollem.

TITYRUS

19 Adfuit Antigenes, Chromis, Alcon, Mopsus, Amyntas
20 et rubeam indutus tunicam Corydonis Alexis,
21 Astacidesque Micon, cui gallinacea cauda
22 conduit in vario conum complexa galero.
23 Tu quoque nobiscum vellem, Alphesiboee, fuisses,
24 magnaue vidisses ista certamina luce
25 inter Bestavium Lycidam, quemdamque Theonem,
26 quae tibi quando vacat si vis ex ordine dicam.

ALPHESIBOEUS

27 Hoc age fac quaeso, sed quem, dic ante, Theonem,
28 nam quis sit Lycidas multis jam novimus annis.

TITYRUS

29 Ut verum fatear, quo natus nescio patre
 30 matris enim, suus est ut caprae filius haedus.
 31 Hoc scio, quod domino quondam servivit Iollae,
 32 cui noctu exuvias, pictum furatus et arcum
 33 vix trijugum potuit fugiendo evadere lignum.

ALPHESIBOEUS

34 Jam teneo fragili solitus garrere cicuta,
 35 ridiculus toto fuit hoc in rure poeta.

TITYRUS

36 Recte ais, at Latiis hac messe reversus ab oris
 37 quantas, audires cuperem, proclamitet artes,
 38 quam facili dicat se ludere posse camena.
 39 Hic ubi jam plenas consedissemus ad obbas,
 40 et lenita fames, et pressa libido bibendi,
 41 intrat, et elato resupinus taliter ore
 42 incipit (intenti nos omnes ora tenemus)
 43 salve laeta cohors et praedita robore pubes,
 44 si foret ex vobis cui musica sacra placerent,
 45 qui velit aeternis sese immiscere poetis,
 46 dignaque perpetua modulari carmina lauro,
 47 me petat hac longe celeberrimum in arte magistrum,
 48 clarum laude virum, redeuntem ex Phocide vatem.
 49 Quo sit Cirrha loco, qua sit, scio, parte Cithaeron,
 50 quas Parnassus aquas habet, et quae numina Delphi.
 51 Visus Pieridum chorus est mihi, visus Apollo,
 52 inter quos medius sacras spatiabar ad undas,
 53 et mea de vivis tingebam labra scatebris.
 54 Hinc novus emineo tot notus finibus auctor,
 55 qualem non usquam longissima protulit aetas.
 56 Ipse mihi Thamyras, mihi Methymnaeus Arion,
 57 et vetus Amphion, cedit mihi Thracius Orpheus,
 58 insignisque Linus, quamvis pater adsit Apollo.
 59 Praeferor hac cunctis jam tempestate poetis,
 60 quos Germana fovet, quos educat Itala tellus,
 61 nec mihi se quisquam potis est componere pastor,
 62 seu Latium certet, seu Graecum ludere carmen.
 63 Judice si mecum certarit Tityrus Ande,
 64 judice se victum concedet Tityrus Ande,
 65 nec mea Sicelides aequabunt carmina musae,
 66 quicquid et Ascraeus modulatur arundine vates,
 67 mille istis calamis haedos, et mille capellas,
 68 et totidem merui melioris vellera lanae,
 69 quaeque alia insanus posuit mihi pignora cantor.
 70 Plura locuturo subitam collectus in iram,
 71 talibus insurgit Lycidas, et vocibus infit.
 72 Quae mala te rabies, quae te dementia vexat ?
 73 Inter tot celebres ut faex et amurca Poetas,
 74 qualis coniferas inter saliuca cupressos,
 75 usque adeo falsis te tollas laudibus, ut te

76 non pudeat tanto mendacia dicere fastu ?
 77 Nos nescire putas, qui sis, quae carmina possis ?
 78 Sic utinam, velut es nobis, tibi cognitus esses,
 79 et miser in caecis latitares bubo cavernis,
 80 nec tot habereris ludibrio oloribus, et non
 81 tam manifesta foret, quae nunc inscitia prodit.
 82 Dic mihi pastorem vel tot de milibus unum,
 83 qui tibi victori pomumve nucemve dedisset.
 84 Tune malis aliquem potuisti vincere culmis ?
 85 Qui tot ubique moves quo cantas rure cachinnos.
 86 Insani pro Castalio te pocula strychni
 87 credo bibisse, quibus tantum cepere furorem
 88 infatuati animi, medicos non consulis aeger ?
 89 Tanta tibi fuerit saltem sapientia vellem,
 90 ut si quas aliquo squillas prodire sepulchro
 91 videris, has vellas, et ab hac te peste repurges.
 92 Non tulit illa Theon transversa tuentibus hirquis
 93 antigenis baculum furiosa menteprehendit.
 94 Sed levior penna Lycidas mox prosilit, et se
 95 correptae citius propere tegit objice sellae ;
 96 si vir es et forti qua tibi sub pectore virtus,
 97 aggredere, et minimum mihi curva in vertice crinem,
 98 aspice quam timeam, trepido quam corde pavescam,
 99 qualiter esuriens conspecto sorice felis.
 100 Hac etiam oppressum pulsasset voce Theonem,
 101 ni senior subito se interjecisset Amyntas.
 102 "Quis novus hic, inquit, furor est ? Quae bella paratis ?
 103 Non volumus tantas inter vos surgere lites,
 104 pone Theon baculum, Lycida tu projice sellam.
 105 Pascentes non ista decent convicia vates.
 106 Si tamen insanire libet, contendite cantu,
 107 et videamus uter melior, promptum esse Theonem
 108 audisti, nec adhuc credo certare recusat.
 109 Tu modo si quid habes, sed non temerarius, aude."
 110 Non ita, tum Lycidas, fecundum rusticus imbrem
 111 orat, ubi emoriens fisso seges aret in agro,
 112 et quia non aliud possum hic deponere pignus,
 113 aeratum hoc ferat ille pedum et mea pallia victor,
 114 tres nisi det victus ligulas, fac certet Amynta.
 115 Ad quae verba Theon, huic quae fiducia vespae,
 116 audeat ut contra vocalem stare cicadam ?
 117 "Tres ego non ligulas, tibi tres promitto capellas,
 118 indic quem vis cumque diem, vel, iudice Pane,
 119 non timeo, veniam calamis et voce paratus,
 120 et faciam, ne plus hac me levitate laccessas."
 121 "Effugium quaeris, Lycidas ait, incipe si quid
 122 jam potes, et quem te jactas ostende poetam.
 123 Vince, nec hanc (si quam ducis modo) negligite laudem.
 124 Quod si vis prior ipse canam, tu deinde sequare".
 125 Quae simul ac dixit, sublatam flectere vocem
 126 incipit, et nostras mulcere his cantibus aures
 127 (ut sim rite memor, divae concedite musae).

EPITHALAMIUM DUCIS IOANNIS ET ELISABETAE.

128 Mirabar, faciles quid aprica per arva Napaeas,

129 atque alias quot habent juga, silvae, et lustra sorores
130 cum Satyris Faunisque leves agitare choreas
131 aspicerem, et solito laetas plus more capellas,
132 egressasque feras mediis colludere campis,
133 quidque, quod exsultans resonis in vallibus Echo
134 tanta super densos jactaret jubila montes,
135 cuique tuas tu, Phoebe, fides, Tegeae cicutas
136 aptares, cui me cantare Hymenaeae juberet.
137 Scilicet illud erat, modo quod geniale cubile
138 sponsus init, celebratque tori convivia DAPHNIS,
139 DAPHNIS, quem genitrix conceptum Marte Lycoris
140 in sacro, nemorum et ruris decus, aedidit antro,
141 quem tot sperarunt socia in connubia nymphae,
142 plus tamen ante alias Dryope, Scyroque, Lyoque,
143 et succensa, licet mediis, Galatea, sub undis.
144 Sed frustra, quoniam majoribus ille deabus
145 dignus ab aethereis aliam detraxerat astris.
146 A patre jam dudum demissa Astraea tonante,
147 induit humanam, Veneris sub imagine, formam,
148 et se dissimulata deam, dignataque virgo
149 umbrosis Triviae silvis comes ire Dianae,
150 innocuos caste transegit Hamadryas annos,
151 dum juveni matura suo modo ducitur uxor.
152 Pande marite fores, pictos insterne tapetes,
153 fulvaeque splendentes suspende aulaea per aedes,
154 en venit omnis agri chorus, et tot ab aethere divi,
155 Thessalus ut plures non vidit Pelion umquam.
156 Ipsa Venus pulchro radiantem lumine sponsam
157 ducit, et oppresso, gestit minor ire, decore.
158 Ante retroque leves Charites fragrantia nectunt
159 sarta, suam volucres matrem comitantur amores.
160 Una domi frendet tristi discordia vultu,
161 se quoque non ad eam pompam indignata vocari
162 cogitat abjecto formae certamina malo.
163 Non opus in Phrygiis pastorem quaerere silvis,
164 arbiter ipse statim quae sit pulcherrima dicam.
165 Iudicio ignoscet victam se fassa Dione.
166 Curre citate dies, festinum labere caelum,
167 optatamque diu cupientibus advehe noctem,
168 nec tu tunc adeo promptis Aurora quadrigis
169 surge, licet longum vetuli pertaesa soporem
170 amplius invisus nolles amplexibus angi.
171 Finge quid optares talem sortita maritum,
172 ebria deliciis, desertique immemor orbis
173 perpetua obductam sineres caligine terram.
174 Herculeis si tu poteris conceptibus olim
175 (illicitis furtis) jussas duplicare tenebras,
176 jam triplica, rogat hoc Juno justusque Hymenaeus,
177 concipietur enim generosior Hercule proles,
178 hic finem faciens jussit cantare Theonem.
179 Tunc miserum audisses illum disperdere carmen,
180 ut melius duris scarabaeus strideat alis.
181 Cantus ei, ut quondam congressi ad flumina mures
182 hostibus intulerint in margine proelia ranis,
183 magna utrimque fuit, dictuque miserrima caedes,
184 nos tamen interea compresso risimus ore

185 tot vocum lapsus, incompositosque sonores.
 186 Sed nihil iste minus tentis ad tempora palmis
 187 (sic quoniam tectas major vox ingruit aures)
 188 garriit, et magnum se aequare putavit Homerum,
 189 gavisus veluti quassans crepitacula pupus.
 190 Quid multa ? Unanimes lata est sententia voto
 191 victorem Lycidam, victumque tacere Theonem,
 192 hic meruisse negat, tres postulat ille capellas.

ALPHESIBOEUS

193 Gaudeo plus, quam si natum mihi Battulus agnum
 194 nuntiet, id veterem Lycidam potuisse sodalem.
 195 Vivat et hac secum contentus laude fruatur.

ECLOGA SEXTA. SYLVIUS ET POLYPHEMUS.

SYLVIUS

B_6 v.1 Huc, Polypheme, veni, quid in isto sole vagaris
 2 et tua nequiquam solo tegis ora galero ?
 3 Mollior hic requies, et opaca sub ilice tellus,
 4 et tremulas inter gratissima murmura frondes,
 5 hic etiam, si vis (fuit haec tua saepe libido)
 6 jam potes alterno mecum contendere versu.
 7 Non magis exsultans tolles mea pignora victor.
 8 Est nova disparibus tandem mihi fistula cannis.
 9 Quem tuleras nuper cogam te reddere caprum,
 10 hunc tu pone, duos haedos ego pono vicissim.

POLYPHEMUS

11 Nil modo de tali dicas certamine Sylvi,
 12 non idem est animus semper, non una voluntas,
 13 maxima succensam rapit indignatio mentem,
 14 nec memini quod eram qua nunc ego concitus ira.
 15 Est propior cantu fletus, non unica gutta
 16 sanguinis, incisum si quis me pungeret, iret.

SYLVIUS

17 Mirabar quid oves tanta jam voce fugares,
 18 totque precareris multae contagia pestis.
 19 Dii melius dixi, quae te vesania vexat ?
 20 Sed nec adhuc cur sic irasceris audio causam.

POLYPHEMUS

21 Si potes exspectare, vagas dum vertero foetas,

22 accipies, habet iste gregi mala gramina campus.

SYLVIUS

23 Hoc meus ut faciat pro me consuevit Hylactor,
24 qui simul ac monstrata pecus, velocior Euro
25 advolat, et claro fugientem pone latratu
26 insequitur, donec repetitum cogat in agmen.

POLYPHEMUS

27 Nunc audi, justum scio te non dicere factum,
28 multa licet festis opera exercere diebus,
29 quae differre nocet, nec fas nec jura resistunt,
30 ut madidum dubio fenum subspergere soli
31 aegrotum curare pecus, siccare nouales,
32 claudere migrantis fugitivam examinis uvam,
33 et veniente aestu rumpens arcere fluentum,
34 sicque vel ad sanctum crates transponere pascha,
35 si modo sat pingues putrent uligine glebae.
36 Quod tamen hoc sacro Mariae sub vespere feci,
37 exiguoque meos perones unguine levi,
38 non aliter quam si divos Erebumque negassem,
39 adfora resciscens nuper me Naso citavit,
40 Naso sacerdotum nequissimus, unus agrestum
41 hoc in rure metus, nil curans numina iudex,
42 et, nisi quinque darem gallos et quattuor agnos,
43 me voluit vetiti prohibere a limine templi.
44 Nil me flere meum, mea nil querimonia juvit,
45 quin hodie hanc monitus cogebar solvere mulctam
46 quod male dii vertant, ut primae morsus ofellae
47 mors sit, et oclusas suffocet buccae fauces.

SYLVIUS

48 Quid juvat iste furor, quid tanto accenderis aestu ?
49 Talibus adde modum (pariunt incommoda) verbis,
50 ne tacuisse velis, non est revocabile dictum.

POLYPHEMUS

51 Quae loquor hic, fido soli tibi credo sodali.

SYLVIUS

52 Esse scias magnum sacris maledicere crimen,
53 quale sacerdotum genus est, electa deorum
54 turba quidem, et tincti divino chrismate patres,
55 quos omni obnixae debemus honore vereri,
56 et quibus omnipotens jussit parere voluntas.

POLYPHEMUS

57 Quis tamen insipiens adeo deus eligat istos,
58 sed taceo, volui perversos dicere nequam.
59 Et quid si dicam ? Stygias num trudar in undas ?

SYLVIUS

60 Insanis Polypheme, tace, vel parcius illa
61 fare, nec in justos mala dic convicia divos,
62 et quod paucorum scelus est, non objice cunctis.

POLYPHEMUS

63 Una omnes semper vexamur febre capellae.

SYLVIUS

64 Non minus a summo concessa tonante potestas
65 ut libet aethereum reserare et claudere limen.

POLYPHEMUS

66 Non nisi furtivos habeant pro clavibus uncos.
67 Stertentemve queant postico fallere Petrum.

SYLVIUS

68 Sunt etenim nosti qui nostra piacula solvunt.
69 Et qui, quod magis est, invictum et cuncta potentem
70 quinque deum verbis (o si quis talia norit)
71 in sacra ab excelsis delabi altaria cogunt.
72 Candidus angelicam panis mutatur in escam
73 quod mixtum fuit ante merum, dicentibus illis
74 fit cruor e fixo qui Christi pectore fluxit.
75 Haec utique in nostram peraguntur sacra salutem,
76 ut pia respiciant humanam numina sortem,
77 ne tenera occidant gelidae vineta pruinae,
78 ne pulsata gravi denutet grandine messis,
79 ne lupo incurrat, mala ne pecus ulcera tentent.

POLYPHEMUS

80 Nostra sacerdotes curare negotia credis ?
81 Annum ni caperent parientis fenora nummi,
82 quasque gemens trabibus vix sustinet exedra fruges.
83 Nullus in aede foret cantus, nullusque precatus,
84 et nudaie starent sine luce et honoribus arae.
85 Nostra salus minime est illis, et commoda, curae.
86 Immo dolent gravidis si campus flavet aristis,
87 vilia ne vendat dives frumenta colonus.
88 Praeterea multo quicquid sudore paramus,
89 esuriunt et hiant jejuni more leonis,
90 sive lupi, e saltu qui visis imminet agnis.
91 Qui pecudes umquam caprimulgi, quique redivi
92 acrius esugunt ? Quod eis est splendida vita
93 fulvaeque congeries plena servatur in arca.
94 Nos vacuos querimur loculos, tenuemque culinam.
95 Omne quod in rure est, ad eos sic confluit aurum,
96 qualis in effossas ab agro pluvia unda lacunas.
97 Sive obeat, seu vitales homo detur in auras,

98 quicquid agunt etiam sit quantumcumque pusillum.
 99 Maxima semper habent sine duro praemia callo.
 100 Quoque magis capiunt, minus exsatiantur avari.
 101 Credo si qua pecus rasam inter cornua frontem
 102 ferret, ut ex densis faceret glabreta salictis.

SYLVIUS

103 Nulla suis voluit deus esse negotia servis,
 104 quae sacra non mundo temerarent membra labore.
 105 Sunt, quos casta decet puro mysteria cultu
 106 attrectare, nec in nostra se volvere sorde,
 107 pastores nostri, quibus omnes subdimur agni,
 108 aequo animo si nos tondent mulgentque feramus,
 109 turpe suo adversum pecus insultare magistro.

POLYPHEMUS

110 Non adeo patiens ovis est, placidissima quamvis,
 111 cui sua tondenti non subdere crura ligentur,
 112 quae non, si pungas subtercus forpice vivum,
 113 calcitret, et contra vi, nisu, voce laboret.
 114 Omnia quae memoras melius te novimus ipsi.
 115 Non ego sum solis versatus semper in agris,
 116 me quoque viderunt aliquando moenia civem,
 117 et mihi sunt visae plures quam quattuor urbes.
 118 Hic didici, ut nequeas meus ista docere magister.
 119 Magnos (ut fateamur) eis debemus honores,
 120 et merito nuda simul omnes fronte daremus,
 121 quando bona regerent et nos ratione praeirent.
 122 Non sunt quae fuerant in priscis tempora saeculis,
 123 cum veteres vixere patres, sanctique Prophetae,
 124 totque pio Christi passi pro nomine divi,
 125 quorum multa vides depictam gesta per aedem,
 126 et quam duxerunt omni sine crimine vitam.
 127 Hic sua pauperibus Martinus pallia scindit,
 128 hic largus dispendit opes Laurentius, illic
 129 aurifer obrepit nocturnis praesul in umbris,
 130 clamque maritales jacet in penetralia dotes.
 131 Dic quotus haec sequitur jam nunc exempla sacerdos :
 132 quo, videas, fundant Christi patrimonia luxu,
 133 quantis deliciis, quibus illecebrisque fruuntur.
 134 Scorta tegunt, pascunt catulos, volucresque ferasque,
 135 securi quicquid miseri patiantur egeni,
 136 hi licet ante fores clament, lacrimantur, et orent
 137 per quaecumque deus tormenta subivit Iesus,
 138 antiquo potius Baccho servire videntur.
 139 Nam veluti sicca fuerint a dipsade morsi,
 140 omnia distentam dimittunt vina per alvum,
 141 continuaque madent noctu ebrietate diuque,
 142 interea in pluvia pastor sitit, esurit aura,
 143 it, redit, arcet, agit, vertit, fugit, illinit, ungit.
 144 Quando petit prono serus magalia sole,
 145 illapso madidi perones imbre coaxant,
 146 pileus excutitur, suspensaque penula stillat,
 147 nil nisi liventi tunc mixtum lacte moretum,

148 vel cum rancidulo, si festum, brassica lardo
 149 ponitur, aut fissis, si autumnus tempora, rapis.
 150 Ut sua tunc habeant plorantes frustula nati,
 151 non saturi surgunt e mensa saepe parentes,
 152 nec manet esuriens quod posset lingere felis.
 153 Et nisi cum sancti capimus libamina panis,
 154 non aliquod toto vinum gustamus in anno.
 155 Ut taceam, mala quot nos infortunia sternunt.
 156 Nunc aegrae moriuntur oves, nunc horrida grando
 157 sternit agrum, et scabri pereunt rubigine culmi.
 158 Nulla sacerdotes talis fortuna molestat,
 159 qui sat habent ad quem stet cumque ciconia ventum.
 160 Stulta ideo est pietas, quod festae imponimus arae,
 161 et tantas augemus opes, luxumque fovemus,
 162 quo male post egeat careatque domesticus usus.
 163 Sed quod eis, dices, superis damus, hoc ego numquam
 164 credo, quis excelsum tantus contingat Olympum ?
 165 Qui tot abest quot non ingens per milia saxum
 166 decideret septem, si quis demitteret, annis.
 167 Hic saturi ambrosiis epulis, et nectare divi
 168 omnigenis semper pro voto rebus abundant,
 169 nec quod nostra volunt quicquam sibi donet egestas.

SYLVIUS

170 Non impune fuit cuiquam contemnere divos,
 171 quos certum est etiam tantillo munere flecti,
 172 multa vetustatis possunt exempla docere,
 173 quae quoties festum est nos plena audimus in aede.
 174 Nec nostrum credas mendacia dicere Janum,
 175 qui veneranda ferunt arcanis sacra locellis
 176 omnes huic testes plura et majora loquuntur.
 177 Nonne vides in quem demissa catenula fontem,
 178 et quos contigerit sacrorum cistula panes
 179 servari et multos durare perenniter annos,
 180 et varios aegri pecoris sanare dolores ?
 181 Quae dum non voluit quidam olim credere pastor,
 182 nec dare pro salvo grege quem promiserat agnum,
 183 saxea dirigit mutato corpore moles.
 184 Vera loquor, toti res est ea cognita ruri,
 185 nec procul hoc nostris spectata parentibus agro,
 186 exstat adhuc praesens, veniensque exstabit in aevum
 187 et grex et pastor primis ubi Bestava rivis
 188 exoritur, pavidi circum tremur agrestes.
 189 Ipse ego praeteriens ibi vidi saepe viator.
 190 Ignarusque diu verum pecus esse putavi.

POLYPHEMUS

191 Non ego tam simplex, nec ero tam credulus umquam,
 192 haec ut vera putem, vanae sunt omnia nugae.
 193 Talia praetendunt capiendis retia nummis.

SYLVIUS

194 Esto, pios numquam poteris reprehendere fratres,

195 qui sua pro vili bona deseruere cucullo,
 196 et tenuem malunt mendici ducere vitam,
 197 horum me miseret, non sunt ut ceteri avari
 198 accipiunt quae quisque potest dare dona colonus,
 199 caseolos, linum, pullastros, ova, legumen.
 200 Nec tamen haec gratis, bona nobis praemia reddunt
 201 sontibus inferias facientes manibus orant ;
 202 pluraque dant veniae pro solis milia verbis,
 203 quam pro tot nummis Romana Palatia mittunt.

POLYPHEMUS

204 Isti plus aliis nequam, perversior ordo,
 205 quem penes omne scelus, vitium, crimenque fovetur,
 206 se tamen hic solum caelestia regna mereri
 207 jactat, et in divos sua vult post fata referri.
 208 Non ita suspensae monstrant ante ossa tabellae ;
 209 in quibus aerea iudex super iride Christus
 210 in laevum gladio mala dejicit agmina rictum.
 211 Plena his calvastris trahitur carruca, nec usquam
 212 plus densis animas incursant daemones armis.

SYLVIUS

213 Non magis ausculto, nimis es, Polypheme, profanus.
 214 Sat super his, intrant sparsae coryleta capellae,
 215 ne quam praedo lupus prensam deducat, eundum est.

ECLOGA SEPTIMA.

B_7 v.1 Festa dies aderat, quae septem a paschale finit
 2 hebdomadas, primo surgens illuxit Eoo
 3 Lucifer, et pepulit dubias aurora tenebras,
 4 cum sic Singlesio Pius est auditus in agro.
 5 Ite novis laetae sub solibus ite juvencae,
 6 quando salutare humectant gramina rores.
 7 Quaerite quod dudum vobis immune vacabat
 8 pampineo sub colle solum, qua plurima surgit
 9 alnus, et incurvo sinuat se Sualma fluore.
 10 Plena viret tellus alta quam saepe tuebar
 11 ut meliora forent hac vobis pascua luce.
 12 Nunc errate meae per amoena rubeta capellae,
 13 carpente frondentes salices, cytisumque, thymumque.
 14 Io io quam rutilum puro jubar aethere surgit,
 15 nulla minatur aquas nubes, jacet humidus Auster,
 16 lenior Eois immurmurat Eurus ab oris.
 17 Plumbea sunt, quae non istud praecordia caelum
 18 exhilaret, quae non haec rerum oblectet imago.
 19 Tam vario apricatur ager ridetque colore,

20 tot florum species tot commiscentur odores,
 21 omnia quae mater produxit germina tellus,
 22 candidiore hodie testantur gaudia vultu.
 23 Quin etiam densa querulae sub fronde volucres.
 24 Dulcius assueto tenues modulantur in auras,
 25 nos quoque qui colimus crucifixi nomen Iesu,
 26 dulcia jucundo resonantes jubila plausu,
 27 sacra celebramus festae solemnia lucis,
 28 qua pater omnipotens summum patefecit Olympum,
 29 intonuitque novo rutilantes fulmine linguas.
 30 Fixa colonorum pendent in postibus arma,
 31 stiva, jugum, vomis, rastrum, ligo, runca, securis,
 32 versaque dormit humus, missum requiescit aratrum,
 33 nulla racemiferas exercent pastina glebas.
 34 Solemnes induta togas plebs templa frequentas,
 35 et pia succensas rite offert munera ad aras,
 36 quas circum Tyrio fulgentes murice mystae
 37 vota precesque ferunt, sacrataque pocula libant :
 38 quae, quia non oculis possum, volo mente tueri,
 39 et praesens animo, licet absens corpore, plango
 40 pectus, et obstipos in caelum surrigo vultus.
 41 Jam videor pictum super iride cernere Christum,
 42 qui e media nostrae testudine despicit aedis.
 43 Hinc superas arces, hinc Infernale barathrum,
 44 efflet ut hoc patulis nigros e naribus ignes,
 45 illae transpicuam fundant per limina lucem.
 46 Si non torta sacros globulos mihi licia servent,
 47 in digitis orabo meis : quid iaspidas optem ?
 48 Quid quos Inda alios huc dactylothea lapillos
 49 mittit, et insertum denos discriminat aurum ?
 50 Conveniant alii solitam post valla sub ulmum,
 51 conductoque vocent comptas Corydone puellas.
 52 Seu posita faciant cursus certamina meta,
 53 vel quaecumque salax instaurat ludicra pubes.
 54 Me juvat hic solo modulari carmen in agro,
 55 et celebrem cantare diem, mihi Juppiter adsit,
 56 non qui factus olor, qui fulvum versus in imbrem
 57 turpia commisit stupratis furta puellis.
 58 Sed qui sidereo convexi e vertice mundi
 59 missus adest unus cum patre et prole creator,
 60 quo pia corda calent, atri perit umbra reatus,
 61 enthea bis seni quo quondam pectora fratres
 62 coeperunt, variasque hominum novere loquelas,
 63 et nova mulgarunt passi magnalia Christi.
 64 Te precor, alme deus, sacrum te numen adoro.
 65 Quicquid es (haud equidem niveam te credo columbam,
 66 sed quod caeca nequit mentis comprehendere nubes
 67 pneuma) tuos nobis praesens immitte calores.
 68 Restitue argentis sopitum cordis amorem,
 69 conceptoque nigrae cedant fulgore tenebrae.
 70 Sancte deus, clemens et delectabilis ignis,
 71 grata laborantum requies, sincera voluptas,
 72 unica curarum maestique medela doloris,
 73 dulcia dans miseris in amaro gaudia fletu,
 74 hoc non cassa die, quaeso, sine vota reverti,
 75 si tota te mente colo, si credo fidelis,

76 et facio mihi quae doctrix ecclesia mandat.
77 Te quoque virgo parens totius gloria caeli
78 exaltata super divam regina coronam
79 invoco, fida meis patrona precatibus adsis,
80 fac, precor, ut facili clamans exaudiar aure,
81 difficile est aliquam sine te sperare salutem,
82 quando quidem conjuncta pio tu mater Iesu
83 sola potes nati justum sedare furorem.
84 Virginea ostendis pressantibus ubera palmis,
85 quae tenera infanti dederant alimenta puello,
86 cum miser ad nudum gelido sub frigore fenum
87 vagiit, et saevi fugiens edicta Tyranni
88 angelico Phariam jussu properavit in oram.
89 His potes angustas aerumnas addere, totque
90 qui materna tibi laeserunt corda dolores.
91 Ipse cruenta suo demonstrans vulnera patri,
92 enumerat quae nos propter tormenta subivit,
93 insultus, alapas, velamina, verbera, spinas,
94 sputa, crucem, clavos funes, commixtaque felle
95 pocula, quaeque sacrum transfixit lancea pectus.
96 Praeterea totidem recutitae opprobria gentis.
97 Tunc adeo clemens pater et placabile numen
98 dicitur, ut nequeat nostrae non parcere culpae.
99 Tu modo diva fave, querulo succurre clienti,
100 qui tibi, declivi quoties ego sole revertor,
101 praetereoque tua venerabilem imagine quercum,
102 offero compositam transversa ad clatra corollam
103 et quando gravidis flavescit culmus aristis,
104 quem primum secui gratus suspendo maniplum.
105 Parce quod exiguum nuper funale ferebam,
106 cum fuerant casti solemnia februa partus,
107 et tibi tot faculae plenam luxere per aedem.
108 Scis quod nostra vorax mellaria perdidit ursus,
109 et surreptus apum labor hoc nil profuit anno.
110 Cum redit Augustus, cum summa levaris in astra,
111 majorem herbarum portabit Amantia fascem.
112 Optime consolator, ades, tua flamina spirant,
113 intima nescio quis praecordia suscitatur ardor,
114 et penitas imo lacrimas e pectore cogit.
115 O super Hyblaeum dulcis mihi cura liquorem,
116 et quascumque fabas huc miserit Africa lotos.
117 Non ita pingue sapit mihi lac, non suave moretum,
118 non molles ita castanae, non mitia poma.
119 Jam nihil in toto mundi placet amplius orbe,
120 quod correpta sua dulcedine corda morari
121 possit, non tanta est hac in tellure voluptas,
122 quin mallet aetherea sublatus in arce locari,
123 non ut quae divi potant ego nectara vellem
124 ambrosiasve dapes, sed ut ipsius ora tonantis
125 aspiciam, et sanctum caput hoc quod turpibus olim
126 perfossum spinis, fuscisque rubente capillos
127 sanguine concretum celsa in trabe triste pependit.
128 Perfida quid Judaea tibi mitissimus ille
129 fecit? Quo meruit talem, dic, crimine mortem?
130 Quas ego pro tantis tibi poenas imprecer ausis?
131 Non quae jam tua sunt infernae sulpura flammae,

132 donec in his vivis patiare miserrima terris,
 133 nec gravium visura modum finemque malorum
 134 exul in aeternum certa sine sede vageris,
 135 quodque facit semper te spes deludat inanis.
 136 Non minus optarem venerandam cernere barbam
 137 incani, ex nihilo qui fecerat omnia, patris,
 138 qui vetus ante chaos fuit, et sine fine manebit.
 139 O quanta illius bonitas, o quanta potestas,
 140 quantaque conspectis lucet sapientia rebus,
 141 quae faciunt alta toties ut mente stupescam,
 142 cum video certis vaga legibus astra rotari,
 143 tam variasque vices, quas fert natura refertque.
 144 Nunc glacialis hiems, nunc fervida praeterit aestas
 145 fit nox, fitque dies, crescit, decrescit uterque.
 146 Quae modo cornuta est, pleno mox orbe refulget
 147 Luna, suasque regens jacet in terrestria vires.
 148 Quis jubet eruptis segetes assurgere glebis ?
 149 Quis volucres tenui suspendit in aere nubes ?
 150 Quis pluviam decibrat aquam ? Quis fulmina mittit
 151 denique quis tantae sustentat pondera terrae
 152 ne cadat, et medias ne praecipitemur in undas ?
 153 Unus ab antiquo qui talia providet aevo.
 154 Magne pater, placido mortales respice vultu,
 155 proque tua, non pro meritis, bonitate tuere,
 156 quemque minaris eis miserans averte furorem.
 157 Nam mala praesagi pastores omina dicunt,
 158 scilicet obscurum deperdere lumina solem,
 159 et fore perpetua nigram caligine noctem.
 160 Haec eadem priscis es saepe minatus in annis,
 161 quodque secuta fides, pavidi videre parentes,
 162 in media nox atra die stellaeque fuerunt,
 163 sed facili tunc te flecti pietate sinebas,
 164 ut sua mox timido lux esset reddita mundo.
 165 Hac quoque jam nobis, rogo, mansuetudine parce.
 166 Haec et plura Pius viridis de caespite clivi
 167 elata cecinit non ut silvestria voce,
 168 donec praecipitans extrema crepuscula vesper,
 169 in nocturna pecus compellere saepta coegit.

ECLOGA OCTAVA. FAUNUS ET DAPHNIS.

FAUNUS

B_8 v.1 Daphni meum forsán vidisti saepe Cilyndum ?
 2 Insignem bonitate canem, nullique secundum,
 3 quotquot vestra etiam tutantur ovilia Bessi,
 4 villosique Getae, latratoresque Molossi.

DAPHNIS

5 Albiolo clunes aspersum et crura colore ?
6 Cui mutilae auriculae, nec levior histrice millus ?

FAUNUS

7 Hunc illum, placuitne tibi ? Robustior alter
8 non fuit, et potuit volucrem praevertere ventum.
9 Mille mihi lepores, capreas, vulpesqueprehendit,
10 non ut in his parvis audax animalibus esset,
11 non timuit viso concurrere cominus urso.
12 Hoc tutum custode pecus per quosque recessus
13 pavit, et infracta est rapidarum turba ferarum :
14 illius haec virtus certis mihi cognita signis
15 a caeco catulo fuit, ut quem Gallica mater,
16 et similem fratrem primos e quinque cubili
17 intulit, ille tamen post omnes lumina coepit.
18 Mortuus, heu, longam dormit sine fine quietem,
19 qua Carthusiaci fruticosa cacumina montis,
20 exiguumque patet praerupta in rupe sacellum,
21 et vitreus flexo praelabatur Aedera cursu.
22 Quattuor ante dies laudata in pascua veni.
23 Quo puer in tractu dum venaretur Adonis,
24 excitus e silvis medium sus fertur in agrum,
25 quem gemini armabant, quanta in bove cornua, dentes
26 hunc meus ut vidit, subito fervore Cilyndus
27 ardet, et arguta tacitum dat voce latratum,
28 stricta manu teneo nequiquam vincula, currit,
29 meque reluctantem quasi per duo jugera tractat.
30 Donec missa levem concedit spira volatum.
31 Irruit infelix, et summos mordicus armos
32 arripit, insultansque tenet, pugnamque lacessit.
33 Non mora, collectam frendens fera concipit iram,
34 dextraque lunato medii secat ilia dente.
35 Protinus accurro, sed quid temerarius ausim ?
36 Nil fuit in manibus mihi tunc nisi flexile vimen.
37 Ascensa auxilium sublimis clamito quercu.
38 Haeret adhuc hirto mordens in tergore victor,
39 dum prolapsa cadunt per apertam viscera rimam,
40 oppetit indigno gemitu, multumque cruorem
41 fundit, et hinc parvo tristem post tempore vitam
42 exanime ad fagum facta scrobe condo cadaver,
43 hos in rugoso super addens cortice versus :
44 "Fidus amansque sui custos dominique gregisque,
45 raptorum terror devastatorque luporum,
46 hic jacet insigni sublatus morte Cilyndus,
47 ite canes alio, non hunc permingite grumum."

DAPHNIS

48 Me sine Faune queri, nihil haec te damna molestant,
49 huc ades, et nostri contagia conspice saepti,
50 quam misere infectus grex, et mutatus ab illis
51 est ovibus, vestro quas spectans nuper in agro
52 sub nullo dixti meliores ire magistro.

FAUNUS

53 Hei, quae ignava pecus neglexit inertia Daphni ?
 54 Nonne gravescenti potuisti occurrere morbo ?
 55 Et medicas adhibere manus, surgensque tenellis
 56 tuberibus vitium summa resecare novacla ?
 57 Nec sinere in totum pestem proserpere vulgus ?
 58 Certa tibi infectae morborum signa dedissent,
 59 ni tibi socordi non sedula cura fuisset.
 60 Quam tu pone pigris vidisses pascere labris,
 61 inventoque ardens frictare in stipite tergum,
 62 huic prope explicitis quaesita per ulcera lanis
 63 impositum digito levisses providus unguen.

DAPHNIS

64 Ut seres habet ignoras, succede sub ulmum,
 65 dum redeo, mihi quid post saepta parumper agendum est,
 66 accipies qua sim deceptus fraude doloque.

FAUNUS

67 Interea sparsas vado compellere tonsas.

DAPHNIS

68 In me nulla mali causa est, ego donec adessem
 69 quam potui impendi, mea quae vigilantia, curam.
 70 Tempus erat flavas quo campus habebat aristas,
 71 et curva armati sudabant falce coloni,
 72 me quoque posthabitis ovibus mea farra vocabant.
 73 Helcia, temo, jugum, radii, axis, tympana, canthus,
 74 fervida sollicitae fecere negotia menti.
 75 Interea, tanti quando incubuere labores,
 76 conducto mercede pecus concredo Petulco,
 77 qui tacitum falsa condens sub imagine nequam.
 78 (Hoc quod adepta mihi male rura faveret in agro)
 79 inque meae interitum caulae molitur, et omnes
 80 lanicio populatur oves, perque aspera ducit
 81 tesqua, per horrentes vepribus spinisque salebras,
 82 et quae plena malis prata et juga noverat herbis,
 83 plus illi placuit cantans in messe Lycoris,
 84 et fucata genas Phyllis, quas saepe secutus,
 85 quando Cupidinei fructu potiretur amoris,
 86 deserta sine teste gregem sub valle reliquit,
 87 interea laesos sanies contracta per artus
 88 tuberat, et scabris surgit mentigo palatis,
 89 aspera sordentes obducunt tergora squamae.
 90 Tempestitiva linit nullus medicamina pastor.
 91 Si qua dolens molli latus explicuisset in herba,
 92 viva statim veniens extraxit lumina corvus.
 93 Cernis ut hic aries dubio vestigia gressu
 94 dirigat ? Ut geminae stent caeca in fronte cavernae ?
 95 Tunc et in affini qui pascit rure Philetas
 96 porrectis crustis, blandae et poppysmate vocis

97 in sua sex nostras pellexit ovilia fetas,
 98 octoque verveces, dextras quibus abscidit aures,
 99 ne binae possent crenae mea signa videri.
 100 Tandem (ne longa teneam te ambage) peracta
 101 tonsura segetum, vectis et in horrea metis,
 102 inscius et nihil hoc ratus intermissa revertor
 103 ad studia, et lorum, vulgamque, pedumque capesso,
 104 jamque exorta dies fuit, et sex altior ulnis
 105 sol tepidos nonam radios dispersit in horam,
 106 quas longinqua procul tondere per arva putavi
 107 nondum transpositis inclusas cratibus agnas
 108 repperi adhuc in quo cedens ego jugere liqui,
 109 cariceam ad casulam propero, juvenemque requirens
 110 nil praeter lacerum in stratis offenso cucullum.
 111 Fugit enim, et patrii repetivit ovilia pagi,
 112 hic modo subsiliens illata incommoda ridet,
 113 et sua, quae teneo, quondam fore pascua sperat,
 114 admiratus oves dimota crate recludo
 115 et voco, sed nulla recubantes voce moventur.
 116 Sordida tum video fluere atro vellera tabo.
 117 Et plenam illuvie pellem, scabieque rigentem.
 118 Quos ego nunc divos, quae nunc ego numina poscam ?
 119 Quid miser aggrediar ? De quo satis utile sumam
 120 consilium ? Vel quae poterit medicina parari ?

FAUNUS

121 Laeto sis animo, nec tantis sternere curis :
 122 quae pecudes sanent miscere unguenta docebo.

DAPHNIS

123 Sic tibi diva parens salvum tueatur ovile,
 124 dic mihi si quid habes, mea nil medicamina possunt.

FAUNUS

125 Tondendi primum tibi sunt circum ulcera flocci,
 126 et vivo penitus purgandae flumine sordes,
 127 tetraque scabrities, tunc lotam cocta lupinis
 128 tingat amurca cutem, nigrumque bituminis unguen,
 129 et vagus argenti globus, et quae spissa ruborem
 130 pix habet, et vivum redolens terebinthina sulphur.
 131 Nec gravis helleborus, candens nec squilla nocebit.
 132 Et quibus ima panax in humo radicibus haere,
 133 his potes amentis sucum admiscere cicutae,
 134 triticeamque simul puro cum fonte farinam.
 135 Tristes quas papulae, quas insanabilis urit
 136 pusula (nos sacrum pastores dicimus ignem)
 137 continuo vivas resupinis obrue tergis.
 138 Quod si forte velis dubiam tentare medelam,
 139 retrogrados potes in testa contundere grillos,
 140 et graciles terrae vermes, superadditus illis
 141 anseris adsit adeps, acrique aspersus aceto
 142 viperei capitis cinis, hoc medicamine facto
 143 qua livere vides imbutum perline corpus.

DAPHNIS

144 Quae nam digna satis tibi praemia, Faune, rependam ?
 145 Quas referam grates ? Non me penes illa facultas.

FAUNUS

146 Si majore tibi possem succurrere vellem.

DAPHNIS

147 Ergo bonis avibus longos feliciter annos
 148 exige, meque tibi persuade semper amicum.

ECLOGA NONA. AEPOLUS ET LOLLUS.

AEPOLUS

B_9 v.1 Lolle, quis hic labor est, quos roborum caedis in usus ?
 2 Jam defessa suae tempus dare membra quieti.
 3 Et tepidum ante focum pigrae indulgere senectae.

LOLLUS

4 Aepole, quotquot in hoc terrarum vivimus orbe,
 5 extremum ante diem se dicere nemo beatum
 6 debet, et ex omni felicem credere parte,
 7 quantumcumque pecus propriis sibi pascat in agris.
 8 Temporis illius memini, quo dives habebam
 9 et locuples pastor, mihi grex oviumque suumque,
 10 atque capellarum, pingues cum prole juvencae.
 11 Quid superest cernis, gravida his mihi forda sub alnis
 12 cum tenera pascit vitula, geminisque capellis.
 13 Vix quibus obtentis dulci de limine pulsus
 14 hac nova constitui magalia ponere valle.

AEPOLUS

15 Heu, quis tanta tuis casus dispendia rebus
 16 intulit ? Unde tibi haec, refer, infortunia surgunt ?

LOLLUS

17 Quid referam ? Pauper facile in sua damna loquetur.
 18 At dulce est fido curas aperire sodali,
 19 dant quoque nescio quae justis solacia questus.

AEPOLUS

20 Aede, sed interea cessans depone bipennem.

LOLLUS

21 Et tu faginei conside in caudice trunci.
 22 Nemo est qui miseros plus contueatur agrestes.
 23 Sera nimis tardo labuntur tempora sole,
 24 quae teneri portant maturos Daphnidis annos,
 25 vivus adhuc esset, vellem, pater, et mea certe
 26 candidior fortuna foret, nec talis egestas
 27 me premeret, mea me felicem rura viderent.
 28 Omnia coeperunt mutata lege retrorsum
 29 ire, novisque modis veteres deponere mores.
 30 Ne quicquam trepidus surdum reus ante tribunal
 31 lacrimat, et parvos numerat cum conjuge natos.
 32 Dicere non ausim jam qualis aranea lex est,
 33 in quam si incideret securum viribus oestrum
 34 rumpit, at imbellis miserabile musca susurrat,
 35 et circumsperso manet illaqueata veneno.
 36 Sex ego juridicis nunc haesi in litibus annos
 37 divite cum Lycida, cujus magis ampla crumena
 38 angustas mihi res fecit, contractaque saepta.
 39 Ad mea communem lanii magalia callem
 40 triverunt, sed quodquod erat mihi, vile macrumque
 41 et vetulum dixere pecus, pretiumque dederunt,
 42 carius ut solum potuissent vendere tergus.

AEPOLUS

43 Non sic in media clamantes plebe loquuntur.
 44 Cuique secant teneri pingui de carne juveni,
 45 et si effeta graves jam vidit vacca proneptes.

LOLLUS

46 Hinc mihi corrasi quicquid fuit aeris, habebant
 47 verbosi rabulae, et poscentes munera scribae.

AEPOLUS

48 Qui fora, qui medicos sequitur, sit dives oportet.

LOLLUS

49 Compositis tandem corrupto iudice causis,
 50 ut nec ei, nec lata mihi sententia cessit,
 51 cum modo sperassem vacuum instaurare bovine,
 52 vastataque nova replere propagine caulas,
 53 ecce potentatum sibi visus habere Philarchus
 54 ex alia pulsus nostra praefectus in urbe
 55 irruit, atque alias edicens quaerere sedes,
 56 me notis laribus, me dulcibus expulit arvis,
 57 horrida quae quondam densis spineta salebris,
 58 saepe mihi obtusum fesso fecere lignonem.
 59 O quot ego his manibus truncos, sentesque vepresque
 60 evulsi, quantos a silva ad flumina campos

61 aspicias, hirsuti viruerunt arbore saltus.
 62 In quibus assiduo dum me sudare labore
 63 vidisset Corydon, vis te male perdere dixit.
 64 Quid facerem ? Nihil investes liquere parentes.
 65 Praeter cariceam casulam, lacerumque caprile.
 66 Et fecunda super murem Foenilia conjux
 67 (haec quoque solius venit cum dote juvencae)
 68 magnam pullitiam peperit, bis quinque puellas,
 69 et totidem pueros, quibus omnibus ipse superstes,
 70 dum mea fata sinunt, miseram traduco senectam,
 71 me tamen ante velim crudelis Parca tulisset,
 72 et modo cum superis caelestem civibus arcem
 73 incolem, nec inops tanta infortunia flerem,
 74 nil parvi de me possunt sperare nepotes.
 75 Perditus, heu, omnis labor est, ego linguere cogor,
 76 et tam culta mei tenet alter jugera fundi.
 77 Dii faciant ut sit quam nunc secatur ultima messis,
 78 et subeant post hac tribuli, zizania, lappae,
 79 effetisque leves glebis dominantur avenae.

AEPOLUS

80 Non aliter faciunt quos imperiosa potestas
 81 tollit, et a magno qui nati stemmate surgunt,
 82 et veteri nobis se nobilitate colonis
 83 praeponunt, altoque volunt in honore timeri.

LOLLUS

84 Unde haec nobilitas nostri mortalibus aevi ?
 85 Primitus ex uno est hominum patre nata propago,
 86 sumpsimus e putri nos omnes corpora limo,
 87 nostraque post eadem consumet funera tabes.
 88 Una est quae reddit generosos mascula virtus,
 89 qua sine degeneres, etiam cum Caesare, reges.
 90 Nunc ea quam rara est, immo quam nulla, videmus.
 91 Haec nisi forte putes, altos equitare caballos,
 92 et segmentatas varie discindere vestes,
 93 omnia deliciis postponere, vivere porcum,
 94 praedari, spoliis inhiare, et temnere divos,
 95 per quae nobilior cunctis est gesta Philarchus.

AEPOLUS

96 Tutorem miseris illum venisse colonis
 97 audieram, periit paucis haec fama diebus.

LOLLUS

98 Me mea, te tua spes, et opinio stulta fefellit.
 99 Nullus ubique lupus, nullus sic noxius ursus,
 100 nec gravior nostras tentat contagio caulas,
 101 non adeo malus est aestivis floribus Auster,
 102 non immissus aper fonti, non grando racemis,
 103 non caper arboribus, non caulibus hispida campe.
 104 Omnia devastat, vorat omnia, reddit egenos

105 quotquot ubique sumus pastores agricolaeque.
 106 Quae sibi cumque videt fore commoda, quicquid habemus.
 107 Nulla justitiae facta ratione pique,
 108 surripit, et vacuam, qualis leo, glutit in alvum.

AEPOLUS

109 Nil dubita, quondam sat habebit si quid Avernus,
 110 Styx, Phlegethon, Cocytus, et ater possidet Orcus.

LOLLUS

111 Nos illi serimus, metimus, diffindimus arva,
 112 glebosos occamus agros, et quicquid agendum est.
 113 Cum redit hibernum, quo nix et frigora, tempus,
 114 jussa foco advehimus gemibundo robora curru,
 115 non tenuem dat aquam, veteris non crustula panis,
 116 plena licet putres onerent carnaria pernae.
 117 Et volucris vivat collecti farris acervus.

AEPOLUS

118 Audio quod quidam Mantous TITYRUS olim
 119 obtinuit blandis amissum cantibus agrum,
 120 si potes et quid habes, augustas carmen ad aures
 121 concine, compositas supplex meditare cicutas.
 122 Forsitan hae poterint aliquam tibi ferre salutem.

LOLLUS

123 Consulis in cassum, priscis id profuit annis.
 124 Cum pius Augustus, cum clarus erat Maecenas
 125 carminum amatores nostrorum, ipsique Poetae.
 126 Barbara jam currunt contemptis saecula Muis,
 127 est et iners vulgus, cantantes ridet agrestes,
 128 nec faciles tanto versus auscultat amore,
 129 quin et deficiens jam vox mihi deficit anhelu,
 130 immissusque meas sapo suffocat avenas,
 131 porrectis nummis opus est, nil fistula prodest,
 132 dulcius infelix tinnire pecunia coepit,
 133 et plus quam calami rigidas inflectere mentes.

AEPOLUS

134 Nescio, te miseror, quod si mihi tanta facultas,
 135 quo possem tibi cumque libens succurrere vellem.
 136 Et mihi praeteriens incommoda contulit annus.
 137 Si tamen exiguum nolles contemnere munus,
 138 adjicerem fetam gemina cum prole capellam,
 139 quam procul in glauco cernis pendere salicto.
 140 Et fecunda, duos quater est enixa gemellos.

LOLLUS

141 Quas tibi pro tanta grates pietate rependam ?
 142 Constat in adversis qui sit sincerus amicus.

143 Hunc cape nervosis curvatum cornibus arcum,
 144 dulcia dilecti quondam solacia nati,
 145 dum fruere adhuc juvenilibus integer annis,
 146 atque meas ducens nemorosa in lustra capellas
 147 depulit ex alta silvestres fronde palumbes,
 148 aut in signatum direxit spicula clivum.

AEPOLUS

149 Cogor abire, vale : si vis hoc vespere mittam,
 150 et tua secretas duces ad mulcra capellas.

ECLOGA DECIMA. ORNITUS ET CHARIDEMUS.

ORNITUS

B_10 v.1 Si te nulla domi, Charideme, negotia cogunt,
 2 huc ades, et dubiis, ut amicus, consule rebus.

CHARIDEMUS

3 Inclusas stabulo mulget Silvina juvencas.
 4 Tota mihi in tutam jam nunc vacat hora quietem,
 5 quam soleo mediis semper dormire diebus.
 6 Sed melior lento praestat vigilantia somno.
 7 Dic modo, dum pronus rapidum sol temperat aestum.

ORNITUS

8 Huic te da tripodi, plenumque prehende culullum,
 9 non tepet, e gelida mustum puer attulit orca.

CHARIDEMUS

10 Non sitio, pingui distentus lacte tumescit
 11 venter, ut inflatum similet tibicinis utrem.

ORNITUS

12 Te puto cantorem quondam novisse Philetam,
 13 nasuta juvenem facie, rectoque capillo.

CHARIDEMUS

14 Dicere plus de illo, quam tu me quaerere, possum,
 15 nam mihi conductus tres mercenarius annos
 16 servivit, nec erat quisquam praestantior alter,
 17 non tantum sibi commissum curare bovine,
 18 infectoque gregi praesentem adhibere medelam,

19 verum et aratores regere et frenare caballos,
 20 et nihil obliquo campum proscindere sulco,
 21 parvus adhuc quamvis nondum tria lustra peregit.
 22 Utile servitium fuit illius atque fidele,
 23 donec compositis modulari coepit avenis,
 24 et totos animos solis advertere musis.
 25 Tunc omnis retro stabuli custodia cessit,
 26 omnis in utriculo cura incisisque cicutis.
 27 Saepe quibus civit lascivam ad compita pubem,
 28 et nentes inter medius sub nocte puellas
 29 nil aliud faciens et labra et tempora trivit.
 30 Corripui humane, secura quid otia ducis ?
 31 Cum tibi tot semper curanda negotia restant.
 32 Liberae et aversae stant ad praesepia vaccae.
 33 Altera in alterius truso furit ilia cornu.
 34 Deberes acies fervente retundere falce,
 35 tosta foco tenerae conflexere vimina quercus,
 36 ut teretes fierent collaria vincula boiae.
 37 Nulla vides ovis est, quam, si per devia deerret,
 38 ad numerum ut redigas, sua tintinnabula prodant,
 39 haec quibus appendas curvanda e stipite ligna.
 40 Et stipanda forent contorta cannabe lora,
 41 quod mea si nobis ut nequam commoda servus,
 42 tu tibi prodesse saltem, discissa lacerna est,
 43 quam duplici posses bene tute reducere filo.
 44 Et laceri sunt perones, me si qua rogares
 45 frustra mei corii vellem dare, tu modo tantum
 46 quos soleae incutias inspica ad lumina clavos,
 47 nec sine inutiliter parsum evanescere sevim.
 48 Hos monitus surda nequiquam attentius aure
 49 audiit, et tacitum coepit demittere rostrum.
 50 Quid tibi plus dicam ? Cum proxima reddita lux est,
 51 collectis sibi sarcinulis, mea saepta reliquit.
 52 Nec possum quo scire loco quoque orbe moretur.
 53 Audio ad Ausonios ipsum cessisse colonos,
 54 scilicet ut sciret compactis ludere cannis.
 55 Credidit hac istic meliores arte magistros.

ORNITUS

56 Hinc modo collecti rediit ditissimus auri,
 57 non ut agreste decet genus, in simulantibus undam
 58 vestibus, et viridi redimitus tempora lauro.
 59 Audires quantis habitatos laudibus agros
 60 effert, quam laetas segetes, quam pingua dicit
 61 pascua, nec nostris similem regionibus oram,
 62 nobilium fetam frugum pecudumque parentem
 63 luxuriare omni, ut felicia rura, nitore,
 64 tot quoque praeruptis ibi tolli moenibus urbes,
 65 quae miseros circum soleant ditare colonos,
 66 et quodcumque venit magno venale liceri.
 67 Certe tam cupido mihi cor succendit amore,
 68 ut, mea si possem pecuaria ducere, vellem
 69 laudatas illo sub sole invisere sedes,
 70 et novus in tali terra considerare pastor.

CHARIDEMUS

71 Sic tibi vesanam non possum credere mentem,
 72 dulcia ut exilio mutare novalia malles,
 73 atque peregrinos nostris praeponere fines,
 74 linquere certa, incerta sequi, sperareque velle,
 75 hoc cujus manifesta fides in rure salutis.
 76 Si sapis hic maneas, mihi nota est Itala tellus.
 77 Invida gens certe, quae quem Germania mittit
 78 pastorem insequitur, mixtisque intoxicat herbis.
 79 Id puer Antigenes probat, et quem Regius olim
 80 mons dedit, ut nostrae fieret nova gloria terrae,
 81 venturasque Jovis nobis praediceret iras.

ORNITUS

82 Quid si candidior me istic fortuna bearet ?

CHARIDEMUS

83 Hac etiam, si vult, ea te regione videbit,
 84 si negat, Elysiis deges miserandus in hortis.
 85 Non eadem omnibus est mortalibus illa. Quod istic
 86 forte sit, ut dicis, nactus sibi multa Philetas,
 87 aurea non ideo credas ibi rura, nec Indum
 88 esse solum, vel quod fulva alluit Hermus arena.
 89 Plures haec miseros quam reddit terra beatos.
 90 Qui nihil asportat, nihil his deportat ab oris.
 91 Sit nisi formosum qui vincat Alexin ephebus,
 92 ille novi poterit congesta referre peculi.
 93 Qua scio, proh superi, vitiorum peste laboret.
 94 Sunt etenim plures Sodomae pluresque Gomorrhae,
 95 miror eis alias ultores parcere divos.
 96 Ipsemet Ausonios expertus abominor agros :
 97 tot fures, tot raptores, tot ubique latrones.

ORNITUS

98 Amplius in vestro non possum hic rure morari.
 99 Qualiacumque alibi profugo mihi pascua sperem.
 100 Scis ego qua pauper jam sollicitudine verser,
 101 et quam curta tribus merces mihi redditur annis.
 102 Ad vos e patriis huc veni montibus olim
 103 per longinqua procul ductis deserta capellis,
 104 speravique mihi melius succedere fatum,
 105 invenio pejus, tandem bona sidera mutant.
 106 Ut veni, petii, faciles estote coloni,
 107 nulla meus vestris grex fert incommoda fundis.
 108 Extremos liceat fruticem tondere per antes.
 109 Arrisere mihi simulanti gaudia vultu,
 110 dixeruntque tuas ubi vis hic pasce capellas,
 111 omnia nobiscum communia prata tenebis.
 112 Hic ego tunc bifidi prope sordida flumina Gerae,
 113 quas habito cepi vicino a Thyrside, sedes :
 114 has modo, si memini bene, quattuor incolo messes,

115 occupor assiduo studio, fidoque labore,
 116 nunc ago, nunc redigo, nullum sinit otia tempus.
 117 Quae tamen hinc habeo non dicere commoda possum.
 118 Nil premo, luxatum stat post praesepia mulctrum.
 119 Caprigenum pecus est, quod frondea pabula quaerit,
 120 sed nihil hic praeter calvi sunt gramina campi,
 121 omnibus una eadem gregibus fert pascua tellus.
 122 Et nulla est ratio quam sint diversa palata.
 123 O quoties patriae maesti reminiscimur orae.
 124 Quas ibi delicias, et quae solacia liqui ?
 125 Mallem perpetua nigros fuligine postes,
 126 fumosasque habitare casas, audire perenni
 127 ligna crepare foco, raucum bullire lebetem,
 128 dum sitiens rapido tellus ardore dehiscit,
 129 diffusae gelida fagi recubare sub umbra,
 130 seu per opaca sequi pascentes lustra capellas,
 131 et dum stricta tegit nive frigidus arva december.
 132 Et calidum nudas fornacem scalpere suras.
 133 O ubi nunc onerant fissae lignilia quercus,
 134 et cadit incussis labefacta securibus ornus.
 135 Horreo, venturum dum mecum cogito frigus,
 136 tot me tristis hiems aerumnas ferre coegit.
 137 Nostrae solus opes grex est, non annua messis
 138 detonso stat gramen agro, mihi quaeritur aere
 139 quocumque indigeo, sed nunc rugosa crumena est.

CHARIDEMUS

140 Qua regione velis meliorem quaerere sedem.
 141 Non alibi est, quod non habeat Thuringia munus,
 142 immo divitior cunctarum opulentia rerum,
 143 quas humana sibi natura requirit, abundat.
 144 Praecipue in nostris fecunda superfluit agris
 145 fertilitas, plenumque profundit Copia cornu.
 146 Alma inopum nutrix tutusque Erffordia portus,
 147 vicinasque super tantum capit erigit urbes,
 148 quantum luxurians inter pecuaria taurus,
 149 ad quam tanta cohors ex omnibus undique terris
 150 confluit, ut facto sublimes agmine sturni.
 151 Suppetit omne penus, lac, caseus, ova, butyrum,
 152 plenaque concisis stillant carnaria porcis.
 153 Ut taceam, pyra, poma, nuces, aliasque feracis
 154 autumnii dotes, raphanos, rapacia, napos,
 155 totque olerum capita in magnis coacentia vasis.
 156 Et quamvis bona sit laudandi copia vini,
 157 cocta tamen sapidum dant nobis hordea potum,
 158 qui toties hilares facit insanire colonos.
 159 Adde quod Aonides huc concessere sorores,
 160 et resonam praeses citharam asportavit Apollo :
 161 incipiunt multi jam nunc cantare Poetae.

ORNITUS

162 Quis tamen his sit honor, quae sit reverentia vidi.
 163 Haec eadem nocuit mihi res, quod plurimus osor
 164 me petit, et limis caprilia devovet hircuis,

165 seminat aegolethrum, roratas inficit herbas,
 166 longius hic tutum non est mihi ducere tempus,
 167 attamen ad patrios formido reducere pagos,
 168 non quod perdidderim sectas, velut Astachus, aures,
 169 sed quia me densis non audeo credere silvis.
 170 Audio quod multi pecus amisere coloni.
 171 Occidit Eurynomus miserorum tutor agrestum
 172 qui rapidos arcere lupos, saevosque latrones
 173 tollere consuevit, nostrumque caprile tueri.
 174 Parvus adhuc nondum maturos filius annos
 175 induit, et magnis corpus non competit armis.
 176 Hac tamen apparet pubescens indole virtus,
 177 nil ut eo sit opus quondam rectore timendum.
 178 Non dubito clari fortissima robora patris
 179 concipiet, latosque potens tutabitur agros.
 180 Interea quocumque loco nova pascua quaeram.
 181 Haec bona confini quoque magnificentur in ora,
 182 ardua coctilibus qua moenia surgere muris
 183 dicunt, et riguus campum percurrit Elister.
 184 Multae ibi sunt salices, multus cytisusque, thymusque,
 185 et sua pro quovis grege pabula, pulchraque tecta,
 186 nec velut hic fragili fultae tibicine villae.
 187 Est et ibi Hessiaco Batti de monte profectus,
 188 qui plenum locuples custodit ovile Sibotus.
 189 Et centum propriis includit cratibus haedos.
 190 Hunc facilem fessas admittere spero capellas,
 191 et quas objiciam primum mihi credere frondes.

CHARIDEMUS

192 Quo male sane velis isto migrare sub aestu ?
 193 Longa via est, ductis rimis sitit arida tellus,
 194 confectumque pecus, mala quod contagia vexant.
 195 Deficiet medio prima intra milia tractu.
 196 Esto quod appuleris tandem, vitabitur aegrum.

ORNITUS

197 Seu valeat, seu deficiat, stata vota sequemur.
 198 Gratus, jacta mihi quicquid dabit alea, tollam.
 199 Putida si scabies, vitiosaque pustula surgit,
 200 id commune malum est, et plura caprilia tentat,
 201 ite meae peregre, tenues licet, ite capellae.